# HIERONYMI CLARAVACAI
## CREMONENSIS
## AD PAVLVM III PONT. MAX.
## FASTORVM LIBRI XII.

Nuper in lucem editi.

VNVM NIHIL, DVOS



PLVRIMVM POSSE.

MEDIOLANI
APVD FRANCISCVM & SIMONEM MOSCHENIOS FRATRES.
M. D. LIIII.

(2)

# HIERONYMI CLARAVACÆI CREMONENSIS

## AD PAVLVM III PONT. MAX.

## FASTORVM LIBRI XII.

Nuper in lucem editi.

VNVM NIHIL, DVOS



PLVRIMVM POSSE.

MEDIOLANI

APVD FRANCISCVM & SIMONEM MOSCHENIOS FRATRES.

M. D. LIIII.

IOANNES IACOBVS GABIANVS

PAVLO TERTIO PONT. MAX.

S. D.

*HIERONYMI Clarauacæi Piceleonenſis Poëte non uulgaris duodecim Faſtorum libros, Ælegiarum tres, ac Epigrãmatum unum Homobonus eius ex fratre nepos mihi indicauit, quorum admiratus excellentiam, eos inter lituras, blatas, & cariem deliteſcentes à tenebris uindicandos eſſe duxi,* CHRISTI *Opt. Max. admonitus conſilio, non re linquendos ſcilicet theſauros, ubi ærugo, & tinea corrumpit, idq; eo magis, quoniam*

*niam de rebus ipſius* CHRISTI *cum maxima agunt ſtili facilitate: Quod niſi fati acerbitas intercidiſſet, & illud opus abſolutius, & multa alia eius peregregia poëmata haberemus. Nos uero in hoc opere recognoſcendo intra leges olim à Cæſare, Tuccæ, ac Varro præſcriptas in Æneide nos continuimus: ipſius præterea Homoboni cura locupletiſſimus appoſitus eſt index: id uero oneris uterque libentius ſubiuimus, quia tibi ſtudioſorum Mœcenati dicatū opus inuenimus. Vale.*

*Laudæ xvii. Cal. Aprilis. 1549.*

# HOMOBONVS CLARAVACÆVS

## ALEXANDRO FARNESIO S. LAVRENTII IN DAMASO CARDINALI AMPLISS. S. D.

CVM Opus hoc Hieronymi Clarauacæi Paulo III. Pont. Max. dicatum, & iam à nobis ad ipſum Romam delatum (quod te fortaſſe latere non debet) in lucem edere vellemus, vt quæ hactenus tantæ ipſius ſummi Pontificis laudes in eo ipſo opere diligentiſſimè contextæ (ſiue noſtra, ſiue temporum negligentia & iniuria id factum fuerit) quodammodo ſepultæ fuerunt, reuiuiſcant, & per totum terrarum orbem tandem propagentur, te eligere voluimus, ſub cuius patrocinio in publicum exeant, ne vllus ſit maleuolis maledicendi locus, & quod per ſe debile ac infirmum eſſet, per te corro-

boraretur, te ſiquidem boni, qui nihil non bonũ meditari poſſunt, reuerentur, amantqúe, mali vero, & ſi maledictis maleuolentiſſimisqúe obtrectationibus paſcũtur, te tamen verentur & tremunt, & per te maledicere deſinent, licet benedicere non norint. Quòd ſi quid in ipſum Poëtam confingent & comminiſcentur mali, id tamen tuæ ſummæ amplitudinis & autoritatis maximæ rationem habentes intra (vt aiunt) dentium ſepimentum continebunt, id per te euomere neutiquam audebunt: quare quicquid de ipſo tuo præſtantiſſimo & ſanctiſſimo auo, & immortali familia Farneſia hìc erit inter diuorum celebritates & ſolennia perſcriptum non te pigeat legere, imo eo vultu ac animi hilaritate opus accipias vt (qui ſemper tuus fuit mos) virtutis amator amatorumqúe ſtudioſiſſimus agnoſcaris.

Laudæ xiiii. Cal. Iulij. M. D. L I I I I.

## *Chalcographus Lectori.*

*Hic delecta ſuo ſeruaſſet carmine uerba,*
*Quo poterat magnis uatibus ire comes.*
*Hic & curaſſet diſcludere numina ueris*
*Falſa: ſed incæptum morte reliquit opus.*
*Quicquid id eſt, lector non te euoluiſſe pigebit,*
*Forſitan & reſtans ipſe ſubibis onus.*
*Præmia uirtuti ſua ſunt. decet ille ſit autõr,*
*Proximus autori tu quoque cenſor eris.*

## *Octauiani Vineati Laudenſis.*
## O D E.

*Roma dum Faſtos memorat priores;*
*Excitat mœſtas Italûm ruinas;*
*Perditum uatis medium laboris*
*Hoſte furenti;*
*Pontifex nullos referebat annos*
*Integri curſus; uarioqúe menſe*
*Templa fragrabant redolente thure*
*Sacra Deorum.*
*Iam ſatis Clio ſuperos rogauit*
*Carmine; & mixtis lacrimis Thalia;*
*Et ſatis dulci cythara rogauit*
*Pulcher Apollo;*
*Vt nouus Vates oriens Olympo*
*Scriberet Faſtos Latio uagantes,*

Et

*Et pios cultus, ſolidamquè* CHRISTI
*Relligionem;*
*Dignus hic tanto ſuperum fauore,*
*Siue quòd Chriſti fuerit ſacerdos,*
*Vel ſuas prumptus celebrare laudes*
*Ore profundo:*
*Laurea donandus erit corona*
*Inter omnes Italiæ Poëtas;*
*Non manus doctas metuet ſubire*
*Iudice Phœbo.*
*Tutus ibit Pontificis Phaſello*
*Per graues uaſti Oceani procellas*
*Lilijs gaudens, uelut Argonauis*
*Vellere Phrixi.*

HIERONYMI



# HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

## *LIBER PRIMVS.*

IN *Faſtos digeſta nouos noua ſæcula, magni* — Nuncupatio operis.
Et *ſecreta* Dei, *quo licet ore, canam.*
*Da mihi* Romanæ *defenſor maxime ſedis*
*Quod potes, expoſitos in mea uota* Deos.
*Pande ſinus hilares, totumq́;* Helicona *reclude,*
*Te duce per ſacros me iuuat ire dies.*
*Iam tibi felices diuûm reſerabimus aras,*
*Quos habet immenſi regia lata poli.*
*Hîc pater inuenies ſeruandæ legis honorem,*
*Officioq́; leges plurima digna tuo.*
*Vos quoq; Seriades ueſtro date uela poëtæ,*
*Incœptum mœrens ille reliquit opus.*
*Barbara tentabat* Romano *dicere uerſu*
*Prælia, ſurripuit* Calliopea *pedem.*
*Talia fatus eram, medijs quum ſurgit ab undis*
*Muſa, & fatidica talia uoce mouet.*
*Conſule diuini cœleſtia pectora* Moſis,
*Quem legum autorem mundus uterq; colit.*
*Ille tibi ignotos oſtendet in æthere curſus,*
*Et peraget dextro limina cæca pede.*

 Dixerat

Dixerat, & toto ſuſpexit lumine cœlum,
Et leuiter noſtras ſparſit amica comas.
Moſes dux poetę in hoc libro.
Quumq; ego diuinas agitarem pectore flammas,
Ad uultus Moſes aſtitit ecce meos.
Candida ueſtis erat, radiabant tempora mitra,
Moſis pictura.
Ibat ab aërio plurimus ore lepos.
Annus erat dextra, læuaq; à parte dierum
Sæcula, fixæ horæ limitibusq; ſuis.
Sol erat in uultu, medioq; uertice Phœbe,
Contigerat felix Pallas utrunque latus.
Pallas docet vatem philoſophica & cœleſtia.
Illa regit uatem, ſtudio dat cuncta uidere
Sydera, ſublimes temperat illa uias.
Septẽ planetæ.
Ignes unde Deus, tempeſtateſq; futuras
Procreat, & fulmen, ſi quod ab axe uenit,
Vnde mouet nubes, & concitat æthere currus,
Sydera qua cœli parte minora uidet,
Quæ loca, quas gentes mundi ſol nouit uterq;,
Et gens ſi qua uacat condita ſi qua latet,
Quo Saturnus agat currus, qua ſede ſerenus
Iuppiter, & quantum uendicat ille ſibi,
Fulmine quo Mauors, quibus emicet ignibus ardens
Phœbus, & in Veneris quæ noua flamma domo,
Quo curſu Maia genitus laudatur, & arte,
Signa cœleſtia.
Quas radijs terras ultima luna nouat,
Arion.
Carmine quo terras omnes luſtrauit Arion,
Arionis cãtus uis.
Traxerat immites in ſua uota feras,
Mouerat & fluuios, fontis remeabat ad ora
Nilus, & aduerſas ille petebat aquas.

Dum



Dum canit, & cytharam digitis moderatur eburnis,
Pierides miris obſtupuere ſonis.
Sæpe ſuam tumidi rabiem poſuere leones,
Et iacuere uno tygris & agna loco.
Sæpe domum uiſa eſt tardè rediſſe capellas,
Quum caneret, leporem nulla ſequuta canis,
Lunaq; cæruleo firmauit in æthere currus,
Cœperat & frater tardior ire domum.
Venerat in Latias nec adhuc bene cognitus urbes,
Notior in Siculis urbibus ille fuit.
Illic quæſierat cantu quo uiuere poſſet
Tutius, & patrios excoluiſſe lares.
Dumq; timet prædæ nauem conſcendit Arion,
Arionis admirabilis caſus.
Remigis huic mortem perfida turba parat.
Senſerat, & dixit, non uitæ deprecor uſum,
Sed ſinite in mœſta fata referre lyra.
Vixq; ea tentarat, capiti locat ille coronam,
Aptat & ad lyricos fila canora modos.
Iam canit, è puppi medias iam fertur in undas,
Delphinoq; ſedens æquora tuta ferit,
Delphin ad cœlum rapitur.
Et redit in patriam, cœlo delphina locauit
Iuppiter, & meritis debita regna dedit.
Vtq; micat cœlum, cœlo uidet ille draconem,
Draco ſignum cœleſte.
Pectore qui toto ſydus utrunq; tenet.
Et, ne nulla mihi pateant primordia rerum,
Incipit, & primo ſydera ab orbe notat.
Sydus utrunq; micat, cœlo nunquam'ue mouetur,
Hoſpitibus nautis ſydus utrunq; micat.


Hinc

Arctophylax. Hinc nitet Arctophylax clara tibi luce uidendus,
Dum redit, occultos exerit ille pedes.
Hîc habitat, leuamq; tenet, qua circulus extat,
Vix Ariadnæum uertice tangit onus.
Ariadne. Hunc ſequitur Bacchi coniunx deſerta marito,
Dum parat ad patrios arma referre Deos.
Me miſeram, clamabat, ubi me perfide Theſeu
Deſeris? heu uenio præda petenda feris.
Ariadnes q̃rela contra Theſeum. Me miſeram, clamabat, ubi ſunt iura Deorum?
Quos tibi iurabas ſemper adeſſe Deos?
Sunt ubi iura thori? nunc eſt ubi pronuba Iuno?
Et Venus? & ſertis tempora uinctus Hymen?
Sæpe etiam dicebat ubi eſt, ubi perfide Theſeu
Regia? quam nullo ſolicitante dabas.
Dum queritur, cœlum ac terras clamoribus implet,
Bacchus trahit Ariadnã in cœlum. Bacchus adeſt, uiſo iungitur illa Deo.
Coniugis ille memor dono dat ferre coronam,
Quam tulit ad cœli ſydera ſumma Deus.
Illa micat, ſtelliſq; nouem fit clara, nec ullis
In cœlo dominæ caſibus illa dolet.
Ariadne dicta Libera. Aßidet illa comes, curruq; triumphat in alto,
Deq; uiro felix Libera nomen habet.
Hercules ſignũ cœleſte. Herculis hinc magni cœlo notißimus ardor
Emicat, & totis uiribus ille nitet.
Omnia mirabar cœlo noua ſigna ſereno,
Lucentemq; orbem, filaq; curua lyræ.
Ille inquit, Dubitas an cœlo hæc ſigna recepta?
Quis'ue tulit populo talia dona rudi?

Accipe,



Accipe, Mercurius cœlo notißimus alto Lyra Mercurij
Diuino primus condidit ore Deos,
Sacra recognouit, cœli motusq; peregit,
Dicitur & uoces compoſuiſſe lyra.
Quam patet omnipotens nati non immemor aſtris
Reddidit, & ſtellas iußit habere nouem.
Cycnus formoſis luſtrat ſua ſydera pennis, Cycnus.
Cur teneat cœlum cognita cauſa tibi eſt.
Cepheus Andromedes genitor, quam Pallas in orbem Cepheus.
Suſtulit, ardenti non procul ore micat.
Caßiopea ſedens cœlo pulcherrima forma Caſſiopea.
Emicat, hanc mediam lacteus orbis agit.
Perſeus hanc ſequitur, res eſt tibi cognita dudum, Perſeus.
Quattuor & mira qui dedit arte rotas.
Quiq; tenet dirum dextra leuaq; draconem, Sagittarius.
Proxima diuino munere tela micant.
Iuppiter illa libens celſo donauit Olympo,
Atq; ſuam ad ſuperos ſuſtulit altus auem. Aquila Iouis.
Fabula longa foret repetenda ab origine prima,
Accipe, cauſa mihi de tribus una placet.
Forte ſuæ Meropes ſpoliatus coniugis umbra Cur Aq̃la in cœlum.
In ſua, tantus amor, fata ruebat inops.
Fecit auem Iuno cœlo miſerata dolentem,
Iuppiter euictis hoſtibus aſtra dedit. Meropes in Aquilam.
Hac duce Romanus Gallos Iouis arce fugauit,
Hac laudem domito Cæſar ab hoſte tulit. Aq̃la Romanorũ inſigne.
Pegaſus alatis pulſabat ſydera pennis, Pegaſeus equus.
Mirabar, uero res ait illa loco eſt.

 Phorcis

Phorcis. Phorcis erat forma quondam celeberrima, Perſeus
Hanc ferit, & rapto lumine diues erat.
Pegaſus exoritur ſecto de uertice, fertur
Aëra per tenerum, Pieriamq; tenet.
Et dum ſeſſorem ſpernit, dum frena recuſat,
Exerit, & terram percutit ille pede.
Aonius fons. Protinus Aonios fontes, loca grata Thaliæ,
Dicunt ex illo proſiluiſſe ſono.
Bellerophon. Auſus Bellerophon tergo reſidere uolantis,
Decidit, in ſydus uertitur ille nouum.
Proxima quæ ternos ſpatio tibi conficit orbes
Littera Mercurij munere nota deis.
Piſtrix: Eridanus Lepus: Hinc Piſtrix, mox Eridanus, quo flumine tota
Terra madet, cœlo cognitus inde lepus.
Ille per & glaciem currit, Boreamq; niualem,
Si poſtrema petas corpore diuiditur.
Orion. Hunc ſequitur gladio clypeoq; inſignis Orion,
Cauſa latet, ſigni cauſa canenda mihi eſt.
Orionis fabula. Iuppiter humana luſtrabat imagine terras,
Et pelagi rector, Mercuriusq; nepos:
Quumq; abſumpta foret longarum meta uiarum,
Accipit hos Hireus, ſedulus hoſpes erat,
Et parat exigua dijs lactea fercula menſa:
Verſat & in tepidis anſeris oua focis:
Quæq; diu fuerant nigro de culmine poma
Deijcit, his herbas addidit ille dapes.
Quæq; pater primis huius calcauerat annis,
De uetere prompſit condita muſta lacu.

Cuius



Cuius erat cuſtos, quam primis pauerat annis,
Hoſpitibus dominis mactat & ille bouem.
De boue mactata promittit Oriona natum Orionis natalis.
Iuppiter, hæc etiam cura ſenilis erat.
Iamq; datus terræ cœleſtis creuerat infans,
Contigeratq; annos ad tria luſtra duos.
Currebat, quando plenis adoleuerat annis,
Per mare, nec ſummos læſerat unda pedes:
Montibus errabat, curſu gaudere ferarum
Cœperat, huic dixit Delia, noſter eris. Delia carpit amore Orionis.
Dumq; feros arcus gaudet maculare ferarum
Sanguine, cœleſtes prouocat ille Deos.
Terra feram miſit, cum qua dum certat Orion,
Vincitur, & fuſo pectore calcat humum. Orionis mors.
Quum bene pugnaſſet, dedit æthera Iuppiter illi, Oriõ trahitur in cœlum.
Et ſeptem ſtellis addidit ille decem.
Cernis utrunq; canem, leporem petit alter, & unco Canis ſtella.
Ore feram ſequitur, mox tibi nauis adeſt. Nauis.
Phillirides Chiron tota quoq; parte uidendus Chiron.
Eſt tibi, dum madido tendit in aſtra pede.
Ara, nihil timeas, cœlo procul illa gigantes
Reppulit, eſt crater, eſt auis, hidra ſimul. Crater. Auis.
Excipit undarum moles qui proximus ille eſt Hidra.
Piſcis, ab aſſiduo ne cadat imbre polus. Piſcis.
Ille per occaſus mundi currebat, & ortus,
Et rerum innumeras ille canebat opes.
Cum Deo olympiacos ortus & fine carentes,
Inq; uno ueram ſub tribus eſſe fidem.

 Et

Et Chaos incluſum naturæ ab origine prima,
Quod totum numeris condidit ille ſuis.
Menſis cauſæ a mūdi creatione. Accipe quæſiti uates tibi tempora menſis,
Tempora non uno carmine nota tibi.
Chaos. Terra, mare, & cœlū, & quantū cōplectitur axis,
Ante Dei uultus unus aceruus erat.
Mundi creatio. Omnipotens genitor, cui cuncta elementa mouentur,
Diſpoſuit certis proxima quæq; locis.
Quattuor elementa. Ignis ad æthereum leuior remeauit Olympum,
Cœlum uicino limite fecit iter.
Hinc grauior tellus una ſtatione reſedit,
Proxima uelifero contigit ora mari.
Sydera tum primum tacito labentia cœlo
Cœperunt nitidas exeruiſſe comas.
Aſtrologię origo. Tunc aliquis terris diſtantia ſidera iuſſit
Parere ingenio non leuiora ſuo.
Felices animæ, quarum uirtute pateſcit
Aula Dei, ſoli eſt quæ bene nota Deo.
Tunc aliquis terras duro ſulcauit aratro,
Et poſuit metas iuraq; fixa dedit.
Durior ille tamen, Scythico uel frigore peior,
Qui nobis tali ſub pede fecit iter.
Quattuor anni partes. Tunc aliquis potuit cognoſcere quattuor anni
Tempora, quæ terræ ſit magis apta ſeges.
Nec latuere hyemes illum, nec frigidus æther,
Nec quæ brumali terra ſub axe iacet.
Illi nuda æſtas, qua nil magis æſtuat anno,
Cognita, quæ nobis non ſine peſte uenit.

Viniſer



Viniſer autumnus maturo mitis Iaccho
Venit ad has artes, nec prior ille fuit.
Sed mihi cura fuit confuſum cernere menſem,
Et tota uarios condere mente dies,
Quos mihi cœleſtum pietas, quum conderet orbem
Credidit, & quot ſunt ſydera fixa polo.
Tunc mihi quum leges in ſacro uertice Sinæ
Diceret, & quantum cœlica cura iubet.
Ætherei ſeruare patris natiq; ſupremum Decē pręcepta legis.
Et iubar, & quantum ſpiritus ipſe capit.
Non iurare Deos, ſacros celebrare uerenda
Mente dies, functo ſoluere iuſta patri.
Non ſæuire manu, non furtum admittere, caſtis
Non inhiare thoris, non inhiare bonis.
Non teſtes iurare Deos in legis iniquæ
Pondera, ſi admitti lex modo falſa poteſt,
Quæ bene mortalis coluit data munera, donec Ætas aurea.
Contentus uita pauperiore fuit.
Dum ſibi de uarijs, quas tellus educat, herbis
Appoſuit menſas utiliore cibo.
Sed poſtquam toto quæſiuit in æquore piſces,
Oſtreaq; in conchis non latuere ſuis,
Tunc primum terras cœpit ſcelerata iuuentus,
Nec mactata ſua eſt uictima ſacra die,
Tunc primum fratris gladio percuſſus Abelus Abel occiditur.
Concidit ad ſacros uictima pulſa focos.
Nunc dicenda mihi lux eſt miſerabilis illa,
Obruit humanum qua genus unda Dei.

 Viderat

Viderat in terris humani ſanguinis autor
Quas dederat leges non habuiſſe fidem,
Senſerat ille dolos, & conſcia pectora fraudis,
Non potuit ſceleris tam fera damna pati.
Sic ait, in ſolium poſtquam conſcendit eburnum,
Admiſitq́; omnes in ſua regna Deos,
Deus in concilio deorũ agit de cataclyſmo.
Cernitis, ô ſuperi, terras maduiſſe cruore,
Vndiq;, quod doleo, cernitis eſſe faces:
Cernitis ut colubris torquata ſuperbia diris
Dira uenenatas ſparſit ubiq; comas,
Qua mare, qua tellus extenditur ibit in undas
Humani generis perfida turba mihi.
Aduocat hinc fluuios propioraq́; manibus antra,
Lamechides iuſſus uela ratemq́; parat.
Noe conſtituit archam.
Hîc bene conſtituit ſenior genus omne animantum:
Hæc fuerat magno maxima cura Deo.
Noe ex oĩbus aĩa libꝰ bina in archa includit. diluuij deſcriptio.
Protinus inuadunt uenti mare, nubila terras,
Hic pluuiam, gelidas concitat ille niues.
Hic fremit à dextra exoriens, fremit ille ſiniſtra,
Qua Boreas hyemes, qua riget unda Notus.
Iamq́; tumeſcebat pontus, iam lumina cœlo
Defuerant, terræ nec ſua forma fuit.
Omnia pontus erat, ſyluæ de montibus altis
Concuſſæ ramos non habuere ſuos.
Quæ modo conſtiterant tygres in monte, premũtur
Æquore, nec curſu triſtia fata leuant.
Quæ modo conſtiterat ſummo de uertice cornix,
In fluctus penna deficiente cadit.

Errabant



Errabant timidi lepores, capreæq́; fugaces
Cum canibus, dentes nec timuere feros.
Iam pelagus tumidum, ſummiq́; potentia cœli
Purgatum terræ uiderat omne ſcelus.
Et genus humanum meritas pro crimine pœnas
Soluerat, has pœnas ſi modo fata leuant.
Lamechides uolucrem Phœbi de puppe reſoluit.
Noe emittit coruũ.
Vixit in æquoreïs illa ſepulta uadis.
Et ſibi de turpi menſasq́; epulasq́; cruore
Appoſuit, tali munera digna gula.
Tum genitor dictus Graijs Oenotrius illam
Noe deuouet coruũ.
Deuouet, & tardæ dat mala ſigna moræ:
Columba emittitur a Noe.
Soluit Amiclæam uolucrem de puppe magiſtra,
Rettulit Actæas illa ſoluta comas.
Columba reuertitũ ad Noe.
Rettulit & primo decurrere flumina curſu,
Oliua inuenta a Pallade Athenis.
Nec rabiem madido quæ fuit ante noto.
Ille Deum, & ſuperos omnes in uota uocauit,
Noe grãs agit Dijs ꝓ diluuio abſũpto.
Protinus erectis ad noua templa focis.
Dimiſit uolucres, leporem, capreamq́;, lupumq́;,
Noe dimĩſit omnia animalia.
Et quaſcunq; habuit nauis amica feras.
Poſt maris undoſi fluctus pater ille docebat
Quicquid terra tibi (ſit modo culta) parit.
Noe inuẽta ac beneficia in mortales.
Ille etiam uites, quarum non cognitus ante
Vſus erat, docuit fundere uina tibi.
Ille tibi ad ſolis curſus diuiſerat annum:
Hic Cœlum, & Titan iure uocatus erat.
Hunc ſolem, & mundi ſemen uirtute fatentur,
Hunc animam, cœlum, prima elementa, chaos.

Nec

Nec dilecta ſuo coniunx priuatur honore,
Ignis habet uires, ignea flamma fuit,
Perpetuos ignes docuit ſeruare puellas,
Veſta, Veſta tibi nunc eſt, ſed prius Eſta fuit.
Talia mandata Moſes, taliq; ferebat
Carmine per curſus tempora prima ſuos.
Diuinumq; alto diffundens uertice odorem
Dixerat, A nobis diſce poëta dies.
Dum loquitur, uarios in primo limine uidi
Eſſe dies, mihi quos ille daturus erat.
Tunc ego miratus uariorum iura dierum,
Quæ ſunt uiſa mihi commodiora peto.
Dic mihi magne pater, dic rerum maxime uates,
Quid uult prima ſibi menſe recepta dies?
Ille oculos tollens ad cœli ſydera, dixit,
Sacra dedit nobis, quæ tibi ſacra facit.
Prima dies feſta anni. Hac ego Iudæis dixi ſolennia uerba,
Quæ fuerant anno non reticenda ſuo.
Sæpius eſt pecudum tellus perfuſa cruore,
Illa prior cauſa eſt, maior & illa fuit.
Dedicatio templi Solomonis. Tunc data templa Deo tangentia uertice cœlum,
Et poſitæ Lybico dente fuere domus.
Quas olim Solomon Iudæ de gente uetuſta
Erexit patria non pietate minor.
Sed nimis effudi ſpatioſa per æquora puppes,
Quas uereor ſcopulo percutiente premi.
Accipe, quæſiti menſis uenere calendæ,
In quibus amiſſa ſtat grauitate ſenex.

Prima



Prima dies dicta eſt, annis puerilibus illa
Conuenit, & iuueni, conuenit illa ſeni.
Iura tacent, illa præter redeunte negauit
Legibus addictos conciliare Deos.
Accipe, digna loquar, quare det muneris uſum
Argenti atq; auri munera parua ſenex.
Hoc didicere patres puero dare muneris uſum, Vſus ſtrenæ.
Annus ut hoc ſolo munere lætus eat.
Aut quia ſyderea ſtellatus fronde capillos
De pura Chriſtus uirgine natus erat,
In quo certa omnis poſuit ueſtigia mundus,
Sub cuius noſtra eſt numine firma ſalus.
Hunc ego prædixi lapſurum ſydere ab alto,
Iſacus ipſe fuit uera figura necis.
Venditus & iuſtus, Ionasq; emerſus ab undis,
Hunc Dauid, Solomon hunc canit ore ſacro.
Hunc canit Eſaias, ueterum quid iura reuoluam?
Ille Deus, magni eſt filius ille patris.
Ille regit menſes, & totum temperat annum,
Et iubet in cœlo ſydera ferre pedem.
Vendicat ille diem, primus ſibi uendicat annum, Circuncisio Domini.
Inguina dum ſacra dat ferienda manu.
Illi Roma canit laudes, canit orbis uterq;,
Ponitur ad templi candida cæra fores.
Votaq; ſoluuntur concepta prioribus annis,
Et matres caſtis uocibus iſta mouent.
Salue feſta dies toto celeberrima mundo,
Et niteas uultu, quo meliore nites.

Ipſa

Ipſa regas dubiam felici ſydere puppim:
Pauperibus præſens diuitibusq; ueni.
Sentiat atq; tuum numen, ſi læſa puella eſt,
Si dolet amiſſa uirginitate puer.
Quinta uacat, ſexta eſt nobis numeranda, triumphũ
Suſtinet, æternum ſuſtinet illa patrem.

Epiphania.

Illa docet reges ſtella comitante ſacellum,
In quo cœliferi ſceptra parentis erant

Magorũ aduentus ad Herodem.

Quos ferus Herodes ſimulata uoce profatur,
Quæ uos cauſa duces in noua regna tulit?
Venimus, ut certa puerum pietate colamus,
Qui Solymas genteïs in ſua iura regat,
Quiq; ſibi totum patrijs uirtutibus orbem
Vendicet, & ſummo qui regat axe diem.
Talia dicta dabunt, tacitas conceperat iras
Herodes, ſimulat ſed tamen arte malum.

Herodis cõſilium in Chriſtum,

Et quo uirgineos poſſet deprendere partus,
Fatidicos primum conſulit ille uiros.
Naſcetur noſtra uelatus imagine Chriſtus
In Bethle, magni uox erat illa Dei.
Ille reget totum patrijs uirtutibus orbem,
Et leges alias, & noua templa dabit.
Ille diu dubitans reges dimiſit Eoos,
Inſuper hæc ficto pectore uerba dedit.
Ite duces: & quæ Syrijs portaſtis ab oris
Et puero, & regi maſcula thura date:
Poſt modo ſydereos, rogo uos, mihi dicite partus,
Quæ ſua ſunt, ſuperis ne pia dona negem.

Dixerat



Dixerat, hi ſedem ſtella comitante petebant,
In qua uelatus carne redemptor erat.

Magi munera dãt Chriſto.

Aurea dona ferunt, & miti numen adorant
Pectore, dant myrram, dant pia thura Deo.
Tum patriam læti diuerſo è ſole petebant,
Nanq; alias dederat ſtella ſerena faces.
Septima nec cauſas dicit, nec legibus hæret,
Et tamen exacto tempore munus habet.
Paſtor agit pecudes ad tuti mœnia ualli:
Explorat ſegetes incola quiſq; ſuas.
Nona mihi dubia eſt, populos hac ſæpe Quirinus
Edocuit ſuperis myſtica uerba loqui.

Pauli primi heremitæ.

Hanc ſequitur Paulus primus qui cœpit in antris
Contentus dura uincere ſorte famem.

Iginij põt. max. & mart.

Nec minor eſt fama laudatus Iginius ille,
Plurimus eſt iuuenum plurimus ore ſenum.
Talia diuino fundebat pectore Moſes,
Quum ſerui uerbis hæc mea uerba Dei.
Dic mihi, dic uates cœlo ſublimior alto,
Vnde ſibi primus nomina menſis habet.
Illa mihi cauſa eſt totis quæſita diebus,
Illa tibi in faſtis prima canenda fuit.
Plura dabam, tali ſermone ſilentia rupit,
Accipe, plura manent commodiora tibi.

Ianuarius a Iano.

Ianus erat Latijs quondam celeberrimus oris,
Et qui conſilio ſæpe iuuaret opes.
Ille dedit regi Saturno regna, domosq;:
Nam pater imperijs ab Ioue pulſus erat.

Signauitq;

Signauitq́; locos, regni præſcripſit honorem,

Primum æs ſignatũ naui.

Quinetiam nummis uela ratemq́; dedit.
Cum quibus æthereo fugiens Saturnus olympo
Intrarat Latias rege iubente domos.

Italia dicta Saturnia a Saturno.

Dicta quoq; eſt regis Saturnia nomine tellus,
Quod nomen memori poſteritate manet.
Hinc etiam patres Iani de nomine menſem
Dixerunt primum, non tamen ille fuit.

Anno diuiſio duplex.

Nam pater Iliades Romani conditor anni
Hunc dixit menſem de genitore ſuo,
Inq́; decem menſes totum diuiſerat annum
Romulus erroris neſcius ipſe ſui.
Hunc Cæſar ueniens errorem mouit ab anno,
Conſtituitq́; ſuos menſibus ille dies,

Menſium omniũ ratio.

Et primum Iani dixit de nomine menſem
Principium rebus Romule magne tuis.
Qui ſequitur cineri quoniam eſt ſacratus auorum,
Februus antiquo nomine nomen habet.
Martius hũc ſequitur, Veneris de nomine quartus,
Maius erit quintus, Iunius alter erit.
Qui ſequitur, partes & curia dixit Iulum,
Alter ab Auguſto Cæſare nomen habet.
Hinc September erat, qui nunc Germanicus ille
Othriſias Romæ ſub iuga miſit opes,
Nomina præſcripſit Cæſar Germanicus inde,
Nomen de numero cœtera turba tenet.

Felicis impincis pbri: & mart.

Dum loquitur, Felix cœlo ſua templa petebat,
Et quantum ualeat, reſpicit ante Deum.

Quæ



Mauri abbatis et cõfeſſoris. Liberatæ virginis. Sol in Aquario.

Quæ ſequitur Maurum toto legit agmine uirgo,
Et canit in tota ter q; quater q; domo.
Iam Ganimedæo ſeſe perfundit in amne
Phœbus, agit currus altior ille ſuos.

Berardi et ſociorũ mart.

Indicat ille tibi, quæ non moriente Berardo
Cantant, a celſo numina lapſa polo.
Illi feſta dies ſemper, date munera matres
Italides, ueſtras ille tuetur opes.

In diuorũ contẽptores q meritas ipietatis pœnas dedere.

Cernite uipereos immania monſtra Gigantes
Fulmine magnanimi, fata tuliſſe Iouis.
Cernite Palladio percuſſum numine regem,
Dum parat ad patrios uela referre Deos.
Cernite mutatas Baccho Mineidas omneïs,
Dum miſcent nullas ad noua feſta preces.
Cernite Theſtiaden, flammis fatalibus arſit,
Dum negat ad Phœbes thura cremanda focos.

Hippolyti dilaniatio.

Cernite & Hippolytum Veneris qui numine læſo
Dum fugit, a rapidis eſt laceratus equis.
Si quis erit uerbis auſus uiolare deorum
Numina, crudeleïs ſentiet eſſe Deos.
Vidi ego uirgineum quæ læſerat improba numen,
Cum tota ante annos interiiſſe domo.

Religioſæ ỽginis ſeruati a periculis.

Sæpe etiam uidi ſeruata uirgine, nullas
Æquoris aut cœli pertimuiſſe minas.
Hac duce mercator ſcythicas penetrabit ad oras,
Ibit & intrepido per freta longa pede.
Eripiet miles medio de Marte trophæum,
Et feret inuicta bellica ſigna manu.

B Perq;

Perq; hyemes gelidas terram ſulcabit arator,
Nautaq; cum uentis aſpera bella geret.
Perq; maris rabiem, tempeſtatesq; ſonoras,
Non dubius dubio ſydere uela reget.
Sed quid tam ſterili celebrem te mater in horto?
Non tibi ſunt feſta ſacra canenda die.
Tunc uenies, quum te cæræ uelamen obibit,
Illa dies faſtis prima canenda meis.
Illa dies inquam quæ magni conſcia partus,
Teſtatur uiuos non moritura focos.
Naſcentemq; Deum, celſa qui miſſus ab arce,
Reſtituit ſupero præmia rapta patri.
Marcelli pōt. max. & mart. Hîc tibi Marcellus, cui poſt crudelia fata
Donaſti ſacras Chriſte benigne fores.
Vnde tuos recitat diuino carmine partus,
Et reſerat ſanctas uirginis ille domos.
Te quoq; prædicit genitum de ſemine magni
Eſſe patris, cum quo iuncta ſacella tenes.
Cum quo perpetuis moderaris faſcibus orbem,
Cœleſtem patriam, uelíferosq; ſinus.
Marcellꝰ inducitur intexens opa ſummi Dei ab initio. Sic ait, ille Deus, cui ſeruit curia cœli,
Conſtituit mirum, quod modo cernis, opus.
Formauitq; hominem ſumens ab imagine formam,
Sacrorum & ritus, coniugijq; faces.
Abrami hiſtoria de immolatione filij Iſaac. Ille Deus, Deus ille Deûm cognouit Abrami
Pectora, quum flammis exta daturus erat.
Sedulus ille parens puerum mactare parabat,
Pro quo cœleſtes ſuppoſuere feram.





Iam pater incumbit nudato protinus enſe,
Et iam de puero ſacra daturus erat.
At Deus expoſuit pecudem pro ſanguine nati,
Ille dedit tepidis altera ſacra focis.
Sed quid nam uideo? dicas mihi maxime uates,
Res eſt iudicijs non bene nota meis.
Sydera concipiunt flammas, maiora uidentur
Illa, animum uocis repleat unda tuæ.
Rettulit ille polum uarias mutare figuras,
Et modo cæruleis nubibus eſſe grauem.
Interdum radios plenis effundere uelis,
Et modo formatum numen habere Dei,
Qui quondam eſt ſolitus formatus imagine nubis
Quæ fuerant populo iura colenda dare.
Qui quondam eſt ſolitus formatus imagine flammæ,
Antiquos uerbo ſacra docere patres.
Ille rubo innixus uitæ mihi dona reliquit,
Et cecinit quicquid cœlica cura docet.
Plura mihi occurrunt, cœlo manifeſta ſereno,
Quæ noſtra gaudent eſſe recepta manu.
Dicam equidem, nec te per longa obliuia ducam,
Et reor, & fas eſt illa legenda tibi.
Ille Gomorrheas gentes, Sodomamq; rebellem,
Iratus medijs obruit ultor aquis.
Quod genus effractis ſummerſit in æquora uelis,
Quum tenuit ſedes, uirgo beata, tuas.
Ille etiam Nino felicia contulit arma, Ninus.
Cum quibus externas uicerat ille plagas.

Vicerat Aſſyrios, & quos Nilotica tellus
Diuidit, Aſtrorum uicerat ille ducem.
Illius edidicit pharetrata Semiramis arteîs,
Fraudibus imperium uendicat illa ſibi.
Vendicat & mores, animo maiora uirili
Concipit, atq; habitu continet arma nouo.
Quũq; ferè innumeros agitaſſet Marte triumphos,
Cæderet & ſoli bellica fama ducum.
Per Veneris flammas, per mille ſequentia tela
Eripuit partum mollior illa decus.
Ausa fuit nati temerare cubilia mater, — Semiramidis libido.
Obſtitit incœptis talibus ipſe puer.
Arripuit ferrum, & dixit, pro talibus auſis
Funde animam, nati funde perempta manu. — Semiramis a filio occiditur.
Dixerat, & meritas exegit ſanguine pœnas,
Illa iacet ſciſſa ſanguinolenta coma.
Talis erat Dido, talis Ledæa puella,
Talis Achillæo uictima cæſa rogo.
Hanc ſequitur Ninus, patrio qui nomine diues
Imperij magnas extenuauit opes.
Vltimus imperium Nini ſibi uendicat ille,
Vix ſibi nomen habet, nomine nullus erat.
Plura ſequebantur, tacitus mirabar, at ille
Imbelli amiſſas rege ferebat opes.
Excitat hunc tamen ille pater, qui pauper in antris — Antonij abbatis et confeſ.
Vixit felici ditior Alcynoo.
Cui Deus in cœlo laqueos oſtendit aduſq;
Auroræ thalamos, Oceaniq; ſenis.

Tunc



Tunc pater aërio uultum perfuſus odore
Protinus hæc mœſto pectore uerba dedit.
Ecquis io poterit laqueos uitare? quis unquam
A tantis poterit uictor abire malis?
Ignea uirga data eſt, illa penetrauit olympum,
Ille equidem populos terret, & ille duces.
Venimus ad Priſcæ fatum mortemq; cruentam, — Priſcæ virg.
Non, inquit, faſtis illa tacenda fuit.
Viderat hanc mater uirgo laudauit honores,
Caſtaq; tam caſtos extulit illa ſinus.
Et dedit auratos arcus, dedit illa pharetram,
Et primam in cœlo pocula ferre iubet.
Eſt locus æterna quem dij pietate frequentant,
Hîc nitido largæ fonte bibuntur aquæ.
Hîc ſe perfundit uirgo cum uirgine, plenas
Haurit aquas, toto pectore nectar habet.
Dumq; errat cœlo, poſitos uidet ordine miro
Eſſe Deos, Solem, ſydera, ſigna, Iouem.
Æthereasq; acies, afflataq; numina telo,
Obruit in medijs quæ Deus ultor aquis.
Pœnarumq; locos, ubi cerberus ore trifauci
Aſsidet, & duras excubat ante fores.
Hîc ferus Ixion, quem Iuno criminis ultrix — Ixiõ apud ĩferos cruciatur.
Ad pœnam curru non remorante trahit.
Tantalus & menſas auſus uiolare deorum, — Tantali audacia.
Cuius inextinctam deſerit unda ſitim.
Quos omneîs inter paſſu grauiore Caymus — Caymus apud inferos.
Incedit geſtans tela cruenta manu.

 Quiq;

Abſalom in patrē.

Quiq; patri fera bella mouens dum uictus abiret,
Suſpenſus miſerum ſenſit adeſſe necem.

Manaſſeus idolatra,

Qui dextram fuſo uatumq; cruore Manaſſeus
Fœdauit, patria relligione minor.
Ille diu coluit lapidem pro numinis aura,
Sæpius augurijs credidit eſſe fidem.
Quos fera Tiſiphone paſcens pro crinibus angues
Verberat immiti terq; quaterq; manu.

Baſſiani epi & cōfeſſoris.

Quid ſequar has pœnas? mea nūc Baſſianus obūbrat
Pectora, cœleſteis me docet ille uias.
Tolle caput, cernes ſtellati ſydera mundi,
Quantaq;, de cœlo quum uenit, alma fides.
Baſſianum pariter paſſu grauiore petentem,
Dædalea poſuit quæ ſibi templa manu.
Lauda potens opibus, toto quoq; fertilis anno
Hunc amet, hunc regem nouerit illa ſuum.
Vis tibi uis recitem cur ſit ſacratus in æde?
Accipe, non longi temporis acta canam.
Sæpe ſibi regem uoluit decernere Lauda,
Cui ſoli in ſacris publica cura foret.

Baſſianus eligitur eps laudenſis.

Vota Deo populus dederat maioribus extis,
Audierat populi myſtica uota Deus.
Ille uidens iuuenem cœlo qui cuncta ſereno
Volueret, hunc dixit ſuſcipe Lauda tuum.
Ille domos ſacras iuuenili ardore cadentes
Eriget, & nobis publica templa dabit.
Vltima cum ſtabiles numerabunt tempora parcæ,
Sydera perdomito uictor ab hoſte petet.

Audiſti



Audiſti quare iuuenis ſacratus in æde
Sit Chriſti? & quali munere læta dies?

Ludi in die feſto diui Baſſiani:

Accipe nunc ludos quos illi Lauda dicauit,
Nec pigeat faſtis inſeruiſſe tuis.
Publica cura patrum populo plaudente coronat
Limina, componit candida cæra Deos.
Templa coronantur, gemmis uelantur & auro,
Et redeunt laudes ars precioſa tuæ.
Tu facis ingentes formatos æthere nimbos,
Cœleſteſq; omnes quos habet aula Dei.
Ioſephum, fratreſq; omnes, Tobiamq; ſerenum,
Ioſiacas gentes, uiniferumq; ſenem.
Imūmeroſq; alios, inter quos maximus ille eſt,
Cui dedit æternas Lauda ſuperba fores.
His etiam ludis taurus diſcurrit in urbe,
Et ſua dat ſacra terga premenda manu.
Inter templa Deûm diuinaq; limina, poſtes
Inter & auratos deuouet ille caput.
Adde quòd audaci lepores certamina curſu
Incipiunt, denteïs effugiuntq; canum.
Qui tandem laſſi ſacras mactantur ad aras,
Deq; ſuo fœdant ſanguine templa Deûm.
Dixerat, aſpexi uultum, cœpiq; parentem,
Affari Moſen talibus inde modis.
Dic mihi, dic uates curnam ſacratus in æde

Lepus ſacratus diuo Baſſiano.

Sit lepus, & ſacras exigat ille uices.
Ille manu mulcens barbam, canoſq; capillos,
In promptu cauſa eſt, accipe, uera loquar.

 Quum

*Quum flores uiridis campus daret, omnia læto*
*Gratia cum nymphis iret in arua pede.*
*Ille pater ſyluas paucis comitatus adibat,*
*Ante uelut ſupplex aſtitit ora lepus.*
*Ille petebat opem, canibus uenator habenas*
*Laxat, & hortatur per ſua uota canes.*
*Quumq; igitur uultu leporem ſeruaſſet amico,*
*Cæditur in ſacris uictima parua lepus.*
Marij Marthæ et ſociorū mart. *Dixerat, & Mario ſua templa dicabat, & aras,*
*In toto cernis quas oriente coli.*
Fabiani mart. *Romanæ regit urbis opes Fabianus, & illa*
*Cernitur ex alto primus in urbe Deus.*
*Cur regat urbis opes, & pondera maximus orbis,*
*Non tacuiſſe tibi credimus eſſe pium.*
*Gloria Romanæ ſedis ſublata iacebat,*
*Quis regeret Romam conſuluere patres.*
Pōtifices eligebant ꝑ ſpiritū ſāctū miſſum ſub ſpecie columbæ. *Ales Amiclæus de uertice ſederat alto,*
*Atq; ſuis pennis omnia firma dabat.*
*Tunc populus, mundi ne non retineret habenas,*
*Cum Chriſto, & ſuperis, templa regenda dedit.*
*Vt, ſi fata darent medijs ex hoſtibus ille*
*Æterni eriperet rapta ſepulchra patris.*
*Ah ſcelus, & nullis abolendum dedecus horis,*
*Quod premit hoſtilis dia ſepulchra manus.*
Sebaſtiani mart. *Viderat interea mananteis ſanguine cultros,*
*Et roſeum cœli de regione diem.*
*Vnus erat uiridi decoratus tempora palma,*
*Ibat felici per ſua templa pede.*

*Conſpexitq;*



Agnetis virgin. & mart. *Conſpexitq; Agnem cuius ueſtigia prima*
*Nouerat in ſummi parte recepta poli.*
*Illa infans, primis quæ nondum emerſerat annis,*
*Dempſerat illa annos ad tria luſtra duos.*
*Ignibus euictis gladio ferienda minaci*
*Colla, ſuum uiolet ne decus illa, dedit.*
Vincētij et Anaſtaſii mart. *Quid tibi commemorem Vincenti uulnera mille?*
*Ecce uides, ſacram non ſinit ire diem.*
Emerētianę virg. & mart. *Altera conſurgit niueo de uertice flores,*
*Et uiolas ſanctæ uirginitatis habet.*
Pauli cō uerſio. *Vna dies uacua eſt, Paulum canit altera pleno*
*Ore, per ardentes euolat illa polos.*
*Et Pauli in Chriſtum dulces reminiſcitur iras,*
*Proq; ſuo quondam bella peracta Deo.*
*Contudit ardentes animos Deus æthere ab alto,*
*Contudit, elapſo concidit alter equo.*
*Labitur erepto penitus ſibi luminis uſu,*
*Hos quoq; cœleſti ſenſit ab ore ſonos.*
*Cur mihi Paule moues plusquam ciuilia bella?*
*Non referes uicto parta trophæa Deo.*
*Quum tamen æternum pugnans ueniſſet in agmen,*
*Suſtinuit leges, Chriſte benigne tuas.*
*Longa referre mora eſt, quanto reſerauerit ore*
*Iura, hominum mores, cœlica templa Deos.*
*Longa referre mora eſt, quantis ornauerit orbem*
*Legibus, aëriæ duxq; comesq; uiæ.*
*At, bene ſi cernes cœlo ſua ſigna ſereno*
*Sanguinea uideas hunc maduiſſe coma.*



*Iam*

Pauli .31 põt. max. laus.

Iam te digna manet templorum gloria Paule,
Hic age concipias quo decet ore Deos.
Hic tibi nomen habes, cœli hoc tibi nomen honores
Indicat, atq; omni quos regis orbe dies.

Ioannis Chriſoſtomi.

Non uidet una Deos cœlo, felicior una eſt,
Altera uirginei ſigna pudoris habet.

Agnetis ſecundo.

Tertia quæ primas præcedet nata calendas,
Nil habet, unde tibi feſta legenda putes.

Tranſlatio ſancti Marci euãgeliſtę.

Vltima pars cœlo nota eſt, lætatur in uno,
Ille tibi menſem claudit & ille diem.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

### LIBER SECVNDVS.

ALTER Adeſt menſis, ſuccurrite numina, ueſtro
Natali laudes me duce Roma canit.
Illa canit Chriſti laudes, & uirginis ortus,
Et fugit ad uerſus Anna pudica tuos.

Annę matris uirginis Mariæ hiſtoria.

Quæ quondam ſterilis, prima defuncta iuuenta,
Nil paris, & gremio pignora nulla tuo.
Quæ tibi templa uidens Iudæa lege negari,
Diuina reſeras limina clauſa manu.
Nox erat, & coniunx dederat ſua corpora ſomno,
Quum ſilet unda maris, quum tacet omnis ager.

Nuncius



Angelus apparet in ſomnis Ioacho.

Nuncius æthereos pennis ſecat arduus ignes,
Nuncius à nulla labe notandus erat.
Quem coma laudabat uarijs ornata corymbis,
Ibat ad extremos palla remiſſa pedes.
Qua puer intextus celſo qui miſſus olympo,
Æthereas nobis morte recluſit opes.
Ille uidebatur ſancta de uirgine naſci,
Scandereq; æterni qua micat ara patris.
Aſtitit in ſomnis, & quæ mandauerat illi
Rex cœli, in numeros dirigit iſta breues.
Ioache qui tanti caſus nocuere? quis error?
Vince animos, cedent aſpera fata tibi.
Te Deus, ad nutum cui cuncta elementa tremiſcunt,
Fœcundum faciet, quæ tibi cura prior.
Ille quidem mitis cœlo tonat ille ſereno,
Ne dubites ueris iam tibi parta dies.
Ieſſeides fatis quoties agitatus iniquis?
Et tamen hoſtiles contudit ille plagas.
Tu quoq; lætus eris, nec te tua fata relinquent,
Hæc pia cœleſti pectore cura ſedet.
CREDE mihi, interdum miſeris fortuna ſecunda eſt,
Nec ſemper dubio ſub pede colla premit.

Angelus promittit Ioachino ṽginẽ Mariã ex ſe oriturã.

En tibi polliceor natam, quæ ſanguine puro,
Concipiat natum de genitore Deo.
Dixit & effuſis uolitat ſuper æthera pennis,
Concipit hic ſomnos, & ſua tecta petit.

Ioachinꝰ reuertitẽ domum.

Dum redit, occurrit coniunx, amplexus uterq; eſt,
Protinus amplexu eſt factus uterq; parens.

Anna cõcipit Mariam.

Creuerat

*Creuerat interea diuino ſemine uirgo,*
*Expleratq́; dati temporis illa diem.*
*Vix bene prodierat ſanctæ genetricis ab aluo,*
*Humanum erexit per meliora genus.*
*Illa polo iunxit terras, atq́; æthera ponto,*
*Illa dedit leges, legibus illa uias.*
*Rideat omne ſolum, maris unda quieſcat, & auræ,*
*Diffugiat terris quæ nocitura lues.*
*Gaudia, candores, uirtus deſcendat olympo,*
*Iuſtitia, & pietas, gloria, rara fides.*

Deus p̄deſtinat filium ſuũ morti natu Maria virg.

*Ecce dies felix, cœlo ſacratur in alto,*
*Quam numerant parcæ, nec bene ſigna uident.*
*Cur tamen æthereas cœli peruenit in auras*
*Expediam, ueris res erit apta modis.*
*Cœperat æternum bello uexare tonantem*
*Enceladus, ſuperas flamma petebat opes.*
*Fulminis afflauit uentis, atq́; igne coruſco*
*Altitonans, ſtygios miſit adusq́; lacus.*
*Curia cœleſtis poſtquam rutilo igne redempta eſt,*
*Illius in dextra non leue fulmen erat.*
*Sed ne continuo uexaret fulmine terras,*
*Edidit in cœlo munera tanta Deus.*
*Vt mortale genus uiuos ſperaret honores,*
*Quos pomo ablatos uiderat eſſe ſibi.*

Calliope dux poëtæ in hoc libro.

*Calliope noſtris numerare nepotibus annos*
*Fas mihi, quos ætas longior ipſa tulit.*
*Non ſine te Aonios fontes regit autor Apollo,*
*Riſit, & a dextra compulit illa ratem.*

Et ſo



*Et folijs tangens leuiter mea tempora lauri,*
*Nomina per curſus explicat illa ſuos.*

Februarius vnde dictus.

*Februa Romano ſunt dicta piacula regi,*
*Hos ſequimur ritus maxima Roma tuos.*
*Muneris hoc primus tibi rex & ſponte ferebat,*
*Et Pinus frondes, farraq́; mixta ſenex.*
*Vnde tenet nomen menſis, Ditiq́; dicatur,*
*Hoc parat exequias mœſta puella uiro,*
*Hocq́; nefas luſtrat, cædisq́; piacula ſoluit,*
*Bis quoq; non uiua corpora luſtrat aqua.*

Adraſti fabula.

*Ipſe reum Cræſus fraternæ cædis Adraſtum*
*Expiat, indignum purgat & omne nefas.*
*Theſea Pytalidæ maculatum cæde, priuſquam*
*Iret ad extructos maximus ille thoros.*
*Hoc de more tibi didicit purgare Dialis*
*Quod facis, & quantum concipis ore ſcelus.*
*Vltimus hic fuerat menſis, quia manibus imis*
*Dictus, & antiquos cæde piaret auos.*
*Ianus erat primus, Latio quia primus in orbe*
*Ianus erat, regis quem ſequerentur opes.*
*Vel quia prima domo pars eſt data Ianua, cuſtos*
*Publicus ille hominum, publicus ille Deûm.*
*Riſit ad has uoces Phœbus, riſere ſorores,*
*Annuit & pulſa Calliopea lyra.*
*Et mihi cum cœlo poſtes patuere dierum,*
*Et polus ex omni parte ſerenus erat.*
*Et prior in terras cœli de parte ſerena*
*Ignatius ſacras ipſe petebat opes.*

Ignatij epiſcopi et martyris.

Ille

Ille Deûm matrem fidei monumenta rogauit,
Aurea quæ ad populi contulit ille decus.
Venimus ad feſtum celebrandæ uirginis, illa
Illa quidem in faſtis prima canenda fuit.
Venerat in lucem genitor Deus ille deorum,
Quæq; modo fuerat filia, mater erat.
Credibile eſt ſtygijs, Chriſto naſcente, parentes
Sedibus ad ſtellas exeruiſſe caput.
Ipſa datæ legis ſubiens monumenta uirago,
Obſeruat templi non aditura fores.
Hinc tantum pia fama ualet, fugit aëra mater,
Dum certam à partu finiat illa diem.
At noſtri uoluere patres circundare flammis
Mœnia, & Auguſto condita templa loco.
Virginis ut flores, ut candida lilia cernant,
Diuinumq; animum ſydereamq; fidem.
At tibi feſta dies melior ſit ſemper imago,
Et reſeres aditu cœlica templa tuo.
Semper & aſpicias meliori ſydere mundum,
Qua pelagus fluctu uel grauiore ſonat.
Erige mortales diuina ad munera uitæ,
Quid cœlum, doceas, quanta ſit ara Dei.
Ara Dei fructu terra & fœcundior omni,
Huc modo deſcendas ſi iubet ipſe Deus.
Terrarumq; orbem flamma percurre perenni,
Excitat ille homines ſpiritus ille Deos.
Tu quoq; uirgo potens flamma uelata perenni,
Vera Dei ſoboles, mater & alma Dei.

Purificationis virgin. Mariæ.

Cui



Cui pudor ingenuus uitæ reſerauit olympum,
Suſtineas noſtrum ſæua per arma caput.
Te duce de medijs emerſi elabimur undis,
Te duce de ſtygijs umbra uocatur aquis.
Blaſius argento ſua templa coronat, & auro,
Ne noceant, peſtes maximus orbe fugat.
Altera quæ ſequitur diffundit ab ubere nectar,
Lætaq; diſſoluit uincla nefanda tibi.
Inde renaſcentem turbabit Aquarius annum,
Et faciet primis ortibus ille minas.
Phryx puer ille fuit, ſolis errabat in aruis,
Sæpius & campis præda petita fuit.
Sæpius ille canes præda fugiente coëgit,
Impaſtos ſera nocte redire domum.
Ille ſequebatur capreas, ceruosq; fugaces,
Et de magnanimo præda petita grege eſt.
Iuppiter hunc ſolis ſpatiantem uidit in aruis,
Suſtulit, & menſis pocula ferre dedit.
Et quia dat pluuias cœlo, dixere priores
Qui tulit amiſſum Deucaliona genus.
Aut quia de lymphis ſoluere piacula patres,
Cecropis antiqui nomina fama dedit.
Hoc ſub rege ſenex lympha libabat ad aras,
Mouit & ingentes fluminis unda Deos.
Illo felices uiuebant rege, priusq;
Ceßiſſent magno cœlica regna Ioui.
Nondum cognorant ualidi iuga ferre iuuenci,
Nec gladios ſæua duxerat arte faber.

Blaſii epi. & mart.
Gilberti confeſ.
Aquari⁹.
Ganimedis rapt⁹.
Ganimedes cur Aquarius.

At poſt

At poſtquam uiſa eſt, patriæ ſordeſcere tellus,
Venit ab execta quiſquis in arma toga.
Durior & ſolito partis inhiare triumphis
Cœpit, & imperijs addere regna ſuis.
Deq́; triumphato ſibi mœnia fecerat hoſte,
Victrici referens bellica ſigna manu.
[Agathæ virgin, & mart.] Poſt modo quum ſtellas aurora fugauerit omnes,
Vna tibi uiua uoce canenda uenit.
Huc omneis conferre licet uirtutis honores,
Reppulit inuicta tela ſiniſtra manu.
[Trecchi laus.] Trecchus honorato cum numine numen adorat,
Et iubet ad cœli ſurgere templa uias.
Illa uiro grates tanto pro munere læta
Reddit, & ad cœli conuocat illa dapes.
Mater adit ſolenne decus ſua concipit ore
Vota, timet noceant, quæ nocuere, faces.
Dum uidet à multis defenſam caſibus urbem,
Dum nullus miles, dum tuba nulla ſonat.
[Feria q̃r ta cinerũ.] Vna dies uacua eſt, certe uacat altera, primo
Quæ ſequitur cineres ſuſcipit ante Deum.
Vulnera cruda lauat, tetrum lauat illa cruorem,
[Apolloniæ virg, & mart.] Et iuueni dentes firmat, & illa ſeni,
Cernitur äereas longeq́; uagatur ad auras,
Creditur & terris omnibus illa ſalus.
[Valẽtini pb̃ri. & mart.] Vna triumphales currus componit in auro,
Atq; Valentino non ſine laude canit.
[Gulielmi confeſ.] Hac ſe laudari Gulielmius aſpicit aura,
Ille patris lybici munere diues erat.

Nec



[Scholaſticę virg.] Nec minor una uenit celebres laudanda per aras,
Lucifer hanc toto nunciat ore diem.
[Fauſtini & Iouitę mart, Tranſlatio D. Antonij confeſſoris.] Quæ ſequitur uacat una, tibi tamen altera ſurgit,
Altera uernanti currit ab axe gradu.
Vtraq; magna uenit mihi ſe tamen una canenda
Obtulit, Euganei currit in arma patris.
Vix puer ille gradus pueri compleuerat, audet
Æternum uerbo promeruiſſe Deum.
Ille Deûm uitam accipiens moresq́; deorum,
Auguſti ſacrum cœpit adire nemus.
Sed quum forte Deos cœlo Franciſcus ab alto,
Duceret in terras, hæc noua ſigna tulit.
In quibus humanas mentes formauit, & annos,
In quibus & cœlo proximus ille fuit.
Tu pater ornatus lauro ne deſere terras,
Et mihi, quæ tua ſunt, carminis ora feras.
[Fauſti Monachi] Senſerat, & primos Fauſto cantabat honores,
Cuius erat uaria ueſtis aperta roſa.
Altius atq; oculos tollens ſuſpexit olympum,
Protinus & ueris dixit adeſſe dies.
Tunc uiſa eſt cœli reſerato limine tellus,
Fundere naſcenteis Sole iubente roſas.
Quum tamen hoc cernes, Solem, Lunamq́; putabis
Altius ad ſtellas exeruiſſe caput.
Signa dabunt pluuiæ, metuens nec frigora tellus,
Tunc poteris geminos iungere in arua boues.
Tunc tibi terra dabit plenis uiolaria cellis,
[Veris eſſe ctus.] Tunc ad currentes ire licebit aquas.

C Tunc

Tunc ſalient herbæ, tunc formoſiſſimus annus,
Mater & in nido deuia flebit Ithim.
Tunc uitis pariet gemmas amplexa maritum,
Et tibi de grauido palmite uina dabit.
Poma dabunt largos uerno tibi tempore fructus,
Pauper erit pomis diues & annus erit.
Sed caue ne noceant pluuioſo nubila cœlo,
Qui modo lætus erat, triſtior annus erit.
Forſitan & piſces, nondum numerauimus illos,
Altius incipient exeruiſſe caput.
Quadragesima. Collige naſcentes uiolas, & gramina campis,
Mater adeſt, illa eſt, illa roganda tibi.
Fortiter illa Deos, cœliq; tuetur honores,
Territat infernos qui nocuere Deos.
Illa tibi oſtendet nymphas, Phœbumq; uagantem,
Auroræ plenas ignibus eſſe domos.
Vt Deus æternos diſponat conſpicit axes,
Et loca principijs non leuiora ſuis.
Quid dea Maieſtas, quæ totum temperat orbem,
Quaq; die genita eſt maior in orbe fuit,
Vtq; Deo præſens præſentes uindicat aras,
Victorem bellis non tacet illa Deum.
Quas uidet æthereas acies noua bella mouentes
Deprimit, immunes nec ſinit illa dolos.
Tunc bene pugnauit uictis in limine belli
Hoſtibus, ardenteis continuitq; manus.
Quum ferus Ægæon fraudes & bella moueret,
Dum maiora ſuis hoſtibus ille timet.

Si Deus



Si Deus eq; Deo dixit genitore creatus, Christus tentatur a diabolo ĩ deſerto.
Marmore de uiuo dic tibi panis eat.
Dixerat, at Chriſtus, de ſolo pane putaſti
Viuere mortales: hic tuus error erit.
ILLE quidem uiuit, cœlo qui proximus ardet,
Et nihil humanum quod meditetur habet.
Altera cauſa ſubeſt fraudis, quæ uicta repente
Concidit, & gladio turpiter icta ſuo eſt.
Ille nouas, ut erat fallax, in pectore fraudes
Concipit, æternum ſuſtinuitq; patrem.
Theſaurosq; omnes cœlo oſtendebat aperto,
Quid'ue ſibi extremus, quid nouus orbis habet.
Omnia dixit habe quæ ſunt tellure ſub ima,
Si mihi ſummiſſa numina mente dabis.
At Deus hinc abeas dixit deceptor ab æuo
Humani generis, non mea iura feres.
Talia mandabat genitor, cui cœlica nectar
Turba dabat, gratas ambroſiæq; dapes.
Quæris ab imbriferis quare nunc ſedibus abſit Sol in Piſce.
Phœbus, & ad piſces exerat ille caput.
Perlege diuinos curſus, & templa recenſe,
Inuenies ſacris quattuor eſſe dies.
Nec tibi falſa loquor, gemmis uelantur, & auro, Quattuor tempo rum ieiunium.
Limina, quæ cœlo quattuor eſſe uides.
Et modo cœlicolæ dextra leuaq; uidentur,
Ducere nectarea de regione uias.
Hic canit ardentes flammas, canit alter honores,
Ille ſupercilium ſeruat & ille ſuum.

 Primus

Primus adeſt Moſes, cuius, niſi flamma reſiſtit,
Cernis ab effuſo pectore legis opes.
Sæcula priſca nouat, mediaq; in morte uidetur,
Raptus ab aëria nube ſub aſtra trahi.
Hunc ſequitur frater uita laudatus & annis,
Tertius ille puer uictima facta Deûm.
Cathedra D. Petri. Illis maior erat fidei defenſor & autor,
Petrus in aërijs altior ibat equis.
Quib9 locis precipue colerētur dij gentiles. Aſsidet ante Deum, portas tenet ille patenteis,
Ille hominum cuſtos publicus ille Deûm.
Argiuos Iuno, defendit Pallas Athenas,
Iuppiter Eleos, Cypria regna Venus.
Dardanidas Cybele & Cretam, ſed Caſtor Amiclas,
Vulcanus Lemnum, Mars ferus enſe Getas.
Parrhaſiasq; niues & regna Licaonis Arctus
Mercurius, Thebas Bacchus, Apollo Rhodon.
Alma dedit Petro cœleſtes Roma triumphos,
Cum Chriſto, inuictum rettulit ille decus.
Dumq; coronatos præcedet Apollinis ortus
Lucifer, & ſtellæ dum ſua ſigna petent.
Paulus pōt. max. laus. Dumq; ſuo Paulus ſpectabit ſydere Romam
Sydere, quo maius nil ſibi mundus alit.
Limina ſublimi uultu Romana uidebit,
Vndiq; Phœbea uirgine nexa comas.
Hîc uigilant aræ, Lybicas age deſere terras,
Iam uacat à falſa relligione domus.
Iouis Amonis in Africa fabula. Quam poſuit liber, uicto qui maximus orbe
Æſtuat, & tales fundit ab ore ſonos.

Omnipotens



Omnipotens genitor quem nos ueneramur, habenas
Nectaris effundas, ſi modo iuſta peto.
Dixerat, & tremula percuſsit harundine ſaxum,
Et ſubito dulces proſiluere lacus.
Ille bibit, bibit & populus ſeruatus ab undis,
Dicitur, & fluuios nunc quoq; marmor habet.
Et quoniam uidit curuatis cornibus agnum,
Illius in uultu credidit eſſe patrem.
Illi templa dedit centum fundata columnis,
Aurea ſub templo numinis umbra fuit.
Nunc ſilet, & templis nulli redduntur honores,
Thure uacant, terris uix bene nomen habent.
Sit tibi cura Dei, clarum qui morte triumphum Poëta hortatur mortales Deū magnifacere.
Rettulit, & ſtygia duxit ab arce patres.
Sit tibi cura Dei, uoluit qui fonte renaſci,
Dum ſua Iordani corpora luſtrat aqua.
Hunc per mille neces, per mille pericula quæras,
Ille etiam pro te fata crucemq; tulit.
Quid non Æacides, quid non geſſere phalanges
Mirmidonum? Priamo dum fera bella mouent.
Hi ducis audaces animos & facta ſequuti,
Sæpius ad patrios tela tulere Deos.
Dux quoq; dardanius Thuſco de rege trophæum
Rettulit, & cæſos ſæua per arma duces.
Quid memorem Decios? Fabios, Brutumq; potentē?
Qui nil pro patria pertimuere faces.
Nunc mihi ſuccurit Codrus, nunc errat in agris,
Spargit & in noſtras ſemina parta uias.

 Ille ho

Ille hominum cuſtos, doctis regnabat Athenis,
Exoritur belli pugna cruenta feri.
Conſulitur Phœbus de belli pondere, fertur
Hæc uox ex adytis uera recepta Dei.

Codrus Athenienſiũ rex de quo Valerius Maxim⁹ lib. 5. cap. 6.

Bella dabunt laudes urbi, patriæq; ſalutem,
Si rex pro patria fata cruenta ſubit.
Publica fama monet patriam, uenit inter & hoſtes,
Seruatur Princeps hoſtibus ipſe ſuis.
Nouerat hoc Codrus patriam petit ille ſalutem,
Ignotumq; offert hoſtibus ille caput.

Philenei de quibus Valerius Max. lib. 5. cap. 6.

Voſq; Philenei fratres; uos publica cura,
Compulit humanos deſeruiſſe lares.

Otriades de q̃ Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Nec minus Otriades, uiuis ſpectata per enſes,
Hoſtibus ereptam dextra redemit humum.
Poſt fera bella ducum cladi fuit illa ſuperſtes,
Conſtituit tantis non ſupereſſe malis.
Vicimus, inſcripſit clypei moribundus in orbe,
Oſſa tegit tellus, ſydera nomen habent.

Pauli põt. max. laus.

Quis te, quis Paule hic taceat? quem ſolis ab ortu,
Solis ad occaſus utraq; terra colit.
Tu pelagi, terræq; uias, tu ſydera noſti,
Quæ capit extremus; quæ nouus orbis habet.
Sæpius ipſe tuo ſeruaſti numine Romam,
Nec cadit ad uires mundus uterq; tuas.
Iam tibi ſuccurrit bello uexare potentes
Aſſyriæ populos, thurilegasq; manus.
Quos lauat & Nilus iam iam, Panchaicus orbis
Cedet, & à uicto milite terga dabit.





Iam tibi diuinum reſerabitur arce ſepulchrum,
Quod premit hoſtili barbara terra loco.

Oratio ad Paulũ põt. max. ĩ turchas

Quis neget Æneam, poſtquam collapſa quierunt
Pergama, Romanum conſtituiſſe genus?
Imperiumq; urbi diuina lege dediſſe?
Illum quæ genuit terra petenda tibi eſt.
Debetur Latio gens illa, atq; hoſpita tellus:
Illa tuas poſcit barbara terra manus.
Eia age rompe moras, cœlo Deus intonat alto;
Te uocat, atq; alios in noua bella duces.
Eia age rompe moras, tua te fortuna ſequetur,
Et tibi felices porriget illa manus.
Nec timeas populos, numeroſaq; principis arma;
Vincentur, nullis uiribus icta cadent.

Leonidas de q̃ Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Ille Leonidas omni fortiſſimus æuo,
Nil timet, ad regem proxima bella tulit.
Tantaq; uis animi totis celeberrima terris,
Suſtinuit turmas, militiæq; duces.

Iulus C. cõtra Heluetios vt in cõmentarijs.

Vicit & Heluetias, Gallorum præmia, gentes,
Italus, atq; omni pene carebat ope.
Cœpit & inuictum uictor poſt funera regem,
Deq; triumphata gente trophæa tulit.
Hoſtiles tenuit dextras Deus ille deorum,
Proq; ſuo uicit Cæſare dextra Dei.
Sic iubet ille Deus, cui cuncta elementa mouentur,
Qui nobis ſuperas morte recluſit opes.
Ille tibi uires toto dabit ætere, ad urbem
Victrici referens bellica ſigna manu.

Exercit⁹ Pharaonis obrut⁹ ĩ mari Erithreo.

Ille dedit Moſi populum ſeruare per hoſtes,
Quos non diuiſis obruit æquor aquis.

Amiramis ex ſemine Abrami pater Moſis.

Hunc tulit Amiramis claro qui ſemen Abramo
Duxerat, ille fuit Nobilitate potens.
Ille timens hoſtem puerum componit in urna,
Et uicina potens flumina triſtis erat.

Moſis vita.

Ille dabat gemitus imo de pectore, dixit
Sæpius, Heu matri nil peperiſſe fuit.
Dum gemit ad fluuium iam uenerat, accipit urnam,
Qua puer infelix nec moriturus erat.
Oſcula dat nato genitor repetita, remiſit
Omnia fortunæ, quæ bene læta fuit.
Et iam uela dabat Moſes, fit mollior unda,
Ventus & à tergo proſpera uela dabat.
Ducitur ad Pharias gentes, Nilotica tellus
Accipit, & regis filia mater erat.
Iamq; potens animis fortes impleuerat annos,
Ecce omni Maurus parte timendus erat.
Eligitur belli princeps, concurrit in hoſtes,
Deq; triumphata gente trophæa tulit.

Sephorã ducit vxor a Moſe.

Rex parat inſidias, fraudes fugit ille tyranni,
Inde Sephora pio fœdere iuncta thoro eſt.
Mox, quum diuinas hauſiſſet pectore uoces,
Confugit ad ripas Nile iocoſe tuas.
Illic diſpoſuit rerum miracula, ab hoſte
Eripuit Solymos, & noua regna dedit.
Condidit ille animos, cœli monumenta reliquit,

Moſes legislator.

Et poſuit leges, quas uiolare nefas.

Ezechiam



Ezechiæ geſta præclara.

Ezechiam aſpicias, cuius uirtute redempta eſt
Aula Dei, ſacros reddidit ille dies.
Ille Paleſtinos domuit defenſus olympo,
Nec timuit Syrios, nec fera iura ducis.

Ioſaphat geſta præclara.

Victi Ammonitæ tibi Ioſaphe milite tuto,
Et Moabitarum dextera quanto fuit?
Scilicet infelix populus ſua caſtra locarat,
Qua lacus eructat grande bitumen humo.
Protinus inter ſe in cædes, in fata feruntur,
Hæc erat ultoris conſcia dextra Dei.

Dauidis geſta præclara.

Ieſſeides ſubeat, cuius monumenta feruntur,
Scandere cœleſtes qua uelit ille plagas.
Hic puer ante annos animum uirtute probauit,
Et ſubijt belli ſigna cruenta puer.

Golias ſtratus a Dauide.

Quis neget hunc animi ſola uirtute Gigantem,
Duxiſſe ad ſtygios ore minante lacus?
Hic puer in bellis ſubijt certamina mille,
Impulit & Solimos in ſua regna duces.

Infortunam inuectio.

Inuidit fortuna tamen natoq; patriq;
ILLA malas artes & noua tela gerit.
Cogit in ardenteis flammas natumq; patremq;,
Hic puer, ille ſenex, fortis uterq; tamen.

Abſalom cõtra patrẽ bella geſſit.

Explicat audaces turmas, & filius arma
Abſalomus, bellis abſtinet ipſe pater.
Prælia committit ducibus, iam feruet uterq;,
Nunciat & belli publica fama diem.

Abſalom mors.

Sed patri fortuna fauet, natus fugit, altis
Frondibus excipitur, dum fera fata fugit.

C 5 At pater

At pater infelix caſu concuſſus acerbo,
Seruari natum iuſſerat ipſe ſuis.
Dum dolet & queritur lacrymoſi funera belli,
Abſalome infelix, dixerat ipſe pater.
Dixerat infelix ubi te miſerande reliqui?
Ante oculos carus, dum gemit, ecce puer.
Abſalome ille puer, repetit puer Abſalome ille,
Abſalome ô fili ſum tibi cauſa necis.
Abſalome ô fili, fili puer Abſalome, unde eſt
Abſalome, ut pro te fata cruenta feram?
Quis mihi det pro te moriar cariſſime fili
Abſalome? ætatis firma columna meæ.
Dixerat in mœſto puerum poſuere pheretro,
Suſtulerat capiti ſed ſua ſceptra pater.
Et mœrens centum patrio de more columnas
Erexit, mœſtam iuſſerat eſſe diem.
Illa tamen felix felici conditur æuo,
Qua tibi Matthia habes candida feſta ſatis.
Tu renouas annum, tu lætæ ſemina terræ
Promittis, duce te ſtatq; caditq; dies.
Pigra recedit Hyems, redeunt ſpectacula ueris,
Exerit ad cœlum ſpicea uirga caput.
Et molles uiolæ molli naſcuntur in agro,
Quas locat ad uultus ruſtica nympha tuos.
Effigiemq; tuam uiridi de ceſpite factam
Erigit, & templis munera digna putat.
Talis erat quondam Romana Iuppiter arce,
Dum regeret modicas conditor urbis opes.

Lacrymę Dauidis ſuper morte filij Abſalom,

Sepulchrũ Abſalom ſuper centũ colũnis.

Matthiæ apoſtoli.

Tempora



Tempora priſca peto, menſis conſumitur ætas,
Et mihi finiti clauditur orbis iter.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

### LIBER TERTIVS.

PVBLICA Cura uale, iam prima reuertitur ætas,
Martis & aërio ſurgit ab orbe dies.
Ille urbem ingreditur, toto ſonat æthere currus,
Ridet, & in noſtro carmine lætus adeſt.
Ille ferox quamuis, ſemperq; paratus ad arma,
Aptabat faciles in mea uota uias.
Ipſe tamen ſenſi uultus feruore carenteis,
Libera dum faſtis conditur hora meis.
Tu mihi, tu Pallas, uiresq; animumq; miniſtra,
Quæ ſola es ſummo uertice nata Iouis.
Pone precor clypeum, referes mihi ſacra canenti
Hoſtia, diuino templaq; iuncta foro.
Nec tibi Mæoniæ ſuccurrat nomen Aracnes,
Viciſti, & pœnas ambitioſa dedit.
Nota quidem referam, ſed non indigna relatu,
Mæonis in patria nobilis arte fuit.
Nobilis illa fuit lino, quod ducere tentat
In uarias artes ingenioſa manus.

Pallas dux poëtę in hoc libro.

Aracnes cum Pallade contentio.

Illa mo

Illa modo adductos filum curuabat in arcus,
Littora cærulei dum nouat illa freti.
Et modo mutabat niueas in flumine lanas,
Tanta manus fuerat gratia, tanta fides.
Tantaq; texendi ſtudio dementia ſurgit,
Audeat ut genio Palladis eſſe prior.
Senſerat hoc Pallas cœlo delapſa petiuit,
Mæonias ſedes, & ſimulauit anum.
Exuit humanos habitus, ſeſeq; uidendam
Obtulit, audaci dum furit illa manu.
Seq; operi accingit, poſtquam uirtutis honore,
Mæonis hanc palmam uendicat una ſibi.
Mæonis extimuit, magnæ tamen æmula laudis,
Excitat audaces ingenioſa manus.
Et prior in tela tenui diſcrimine pingit,
Æquoraq;, & terras, nubiferumq; polum.
Et ſolis radios, primaq; ab origine lunam,
Quæq; oriens primo ſtella ſub axe micat.
Et Veneris flammas, & mille ſequentia tela,
Addit & imperium perfide Pene tuum.
Inſerit & caſus Venetûm, belliq; furores,
Inſerit & caſus Brixia mœſta tuos.
Fecit & Europam tauro reſidere natanti,
Et Cretam, & populis mœnia uera ſuis.
Illius & ueros uultus, freta uera putares,
Et preſſum tauro diſsimulante Iouem.
Et Phaetonteos caſus, umbramq; ſororum
Eluſam, aut Danaën Paſiphæsq; bouem.

Omnia



Omnia quæ poſuit dextra, læuáq; locauit,
In medio tamen eſt Calliopea loco.
Cum qua Pierides & carmina cantat Apollo,
Romuleæ referens protinus urbis opes.
Et gentem Illiacam, natosq; è Marte gemellos,
Romulus ut paruæ conditor urbis erat.
Et ſubito uictos in primo Marte Sabinos,
Et data uictori cœlica templa Deo.
Conſulis hinc faſces, & Tuſci caſtra tyranni,
Et Muti laudes Coclidis inde manum.
Ingreditur Pallas uenturi ſecla tonantis,
Virgineos partus, ſydereumq; iubar.
Semina dat terræ, toti dat ſemina ponto,
Et celebrat uentos, imperiumq; Dei.
Ætatum primo componit in ordine formas,
Et cum temporibus prima elementa ſuis.
Et quoniam faciles manibus uoluuntur habenæ,
Incipit æternas, nec ſine lege, uias.
Hanc iuxta comites nymphæ uenerantur, amantq;,
Inter quas Agne gratior una fuit.
Illa Deûm cuſtos nunquam grauitate relicta,
Excoluit ueros ſemper amica Deos.
Illa fuit ueri cuſtos, nec fama negabis,
Illa pudicitiæ maxima ſigna dedit.
Quid referam caſus? quid triſtia dona puellæ?
Vicit, & eſt magnum uincere poſſe decus.
Nota cano, tenui componit imagine telæ,
Æternum Pallas, ſydereumq; Deum.

Qui ma

Qui maris & terræ, cœliq; elementa uidetur
Olim præfixis conſtituiſſe notis.
Hinc ſubito factam lucem, geminosq; parentes,
Quos in delitijs iuſſerat eſſe Deus.
Dat ſua ſigna polo, dat uicti terga leonis,
Dat geminos piſces, dat canis ora feri.
Nec tacet illa genus Chriſti, natalia fecit
Tempora, uenturos reſtituitq; Deos.
Pauli pōt. max. laus. Pingit Alexandrum, Farneſia ſtemmata ponit,
Dat puerum, iuuenem, dat quoq; diua ſenem.
Addit ut Italiam, Romanaq; ſigna tuetur,
Temperat illa hominem, temperat illa Deum.
Illa uidet quanto te exornet munere Paule,
Sed non crede mihi, eſt in tua iura potens.
Mæonis ingemuit, poſtquam quæ fecerat illa,
Non uidet ad doctæ Palladis eſſe manus.
Aracnes metamorphoſis. Dum queritur, parua eſt, ieiunam porrigit aluum,
Pro manibus longos explicat illa pedes.
Fitq; quod ante fuit, telasq; exercet Aracne,
Pendet & à tectis ſtamina longa ferens.
Audior, ad cantus poſita modo Gorgone Pallas
Aduenit, ardentes comprimit illa notos.
Et ſubito uoluit cauſas aperire dierum,
Cauſa ſed incœptis obſtitit una deæ.
Poſcimus & breuiter, cœpti quæ menſis origo
Eſſet, in hos cauſam contulit illa modos.
Hîc ubi Romani poſuerunt templa Quirites,
Inculti quondam iugera ruris erant.

Sæpius



Sæpius hîc paſtor ſolis errauit in agris,
Sæpius & pauit frondibus ille boues.
Hîc Albana cohors luſit, ueteresq; Sicani,
Et iacuit multo fœmina luſa mero.
Mœnia ponuntur geminis, quos Ilia mater
Suſtulit, Ideum iuſſa ſubire nemus. Ilia mater Romuli & Remi.
Conſtituunt aras templis, ſolennia dicunt,
Accipiunt legem, lex erat illa ſenum. Romuli & Remi hiſtoria.
Accipit alter opes, & mœnia fratre perempto,
Euocat & centum per ſua iura patres.
Tres equitum numero turmas, qui bella mouerent,
Inſtituit, uicto rege trophæa tulit.
Inſtituit menſes, primum dedit ordine Marti
Romulus, ex illo creditur eſſe ſatus. Romulus diuidit annū in mēſes.
Priſca fides ſequitur, nulli uiolanda nepotum,
Martis ab antiquo nomine menſis adeſt. Martius vnde.
Surgit prima dies numerata prioribus annis,
Herculeumq; alte ſuſtinet illa caput.
Hac Matrona die famulis ſeruire ſolebat,
Et firmam donis compoſuiſſe domum.
Suſpicio cœlum, flammæ iam ceſſat acumen,
Et redit in cineres thurea uirga ſuos.
Vna ſibi laudes palmam ſibi uendicat omnem,
Quæ de felici nomine nomen habet. Felicitatis virgin. & mart.
Hinc abeas, manes qui cogis abire ſepulchris,
Et mala cantata pabula falce ſecas. In Sagas.
Quid fugis à patria thalamos Ledæa mariti?
Hic amor in flammas, in fera tela cadet. Helenæ amor.

Si pate

Si pateris, dicam, cœlo uenere tonantis
Fulmina, latratu ſigna dedere canes.
Vera nec à facibus uiſa eſt conſurgere flamma,
Flamma ſepulchrali funere digna fuit.
Suſtulit accenſos ſtygijs ex ignibus ignes
Tiſiphone, & dira carmina uoce dedit.
Quid ſequeris pelago duros Læander amores?
Hic tibi nulla dies, nec grauis unda tibi.
Thomæ Aqnatis confeſ.
Et bene cognoſces ubi nam ſanctiſſimus ille
Doctor, ab aërio pectore mella fluunt.
Ille dedit leges, diuinaq; condidit orbe
Sæcula, terrarum pondere maior erat.
Sanctorũ quadragīta mart.
Septima uenturis nunquam minor eſſe calendis
Incipiet, quando pluribus illa uacat.
Pauli pōt. max. laus.
Romanus duci iubet hanc ex ordine Paulus,
Et iubet in populo terq; quaterq; legi.
Vna dies reſerat thalamos, diuûmq; ſepulchra,
Ardentes ſacris obruit una focos.
Edocet in numero ſenior cur phiſtula cantet,
Et canit ad fontes proſilientis aquæ.
Panos & Syringis amor.
Pan deus Archadiæ ſyluis errabat in altis,
Forte uidet nympham gratior una fuit.
Vna fuit Syrinx, dominam dixere ſorores,
Ditior hæc forma, ditior arte fuit.
Illa deas, tanta eſt, collo ſupereminet omneis,
Qualis Amadriadum caſta Diana choros.
Hanc deus Archadiæ ſequitur, miratur, amatq;,
Hanc iubet in dulces ire redire ſinus.
Hæc fu



Hæc fugit, hãc ſequitur, fugiens rogat illa ſorores,
Reddite præſidium, numina ueſtra peto.
Reddite, iuſta peto. nec plura effata quieuit,
Syringos metamorphoſis.
Cannáq; pro ripa fluminis illa fuit.
Pan ex harundine inſtituit fiſtulam.
Hanc deus Arcadiæ ſubito collegit, habebat
Illa ſonos dulceis, carmina pauca dabat.
Alter Arionium modulatur arundine carmen,
Ille nouas artes concitat, ille ſonos.
Gregorij pōt. max. & conf.
Dum ſua Gregorius cœlo deducit ab alto
Feſta, per immenſos ſed renouanda dies.
Ille annos faciles, mentemq; parentibus æquam
Obtulit, & populis omnia uera dedit.
Incoluit ſedes Bizanti, & mœnia clara,
Quæ premit ingrata barbara terra manu.
Diuꝰ Gregoriꝰ effectus eſt pater in Baptiſmate filij Mauritij imperatoris.
Et regis natum per ſacri flumina fontis
Reddidit, & uitam non ſine luce dedit.
Quum Romana dies regem ſibi forte crearet,
Ille negat, munus rege iubente ſubit.
Hic, licet inuitus, rerum ſuſcepit habenas,
In quibus & felix martia Roma fuit.
Explicat ingenio felix grauitate uerendus
Vates, & mentes ſuſtulit ille malas.
Huius ab exemplis diuiſa Britannia Chriſtum
Prædicat, & ueros ſuſtinet alma Deos.
Longini mart.
Altera lux oritur, Longini gloria quanta eſt
Narrat, & ad curſus deficit illa nihil.
Ecquis ad æthereos ſublatum hunc crederet axes?
Vulnerat à dextra mortua membra Dei.

D Ecce

Ecce fluit (mirum) de uulnere ſanguis, & unda,
Lumina ab effuſo forte cruore lauat.
Cæcus erat, ſubitis fulſerunt lumina flammis, Lõginus recipit lumen.
Hic Deus, accepto lumine, dixit erat.
Hunc ſubit illa dies toti miſerabilis orbi, Feriæ ſextæ paſſionis Dñi.
Qua Deus in terris triſtia fata tulit.
Prætulit illa faces lacrymoſaq; funera dixit,
Et cecinit mœſti funeris illa rogum.
Nec minus illa dedit felicia ſydera terris,
Quòd bene deuicta morte trophæa tulit.
Non ego uos auſim tentare Heliconidis undæ,
Quas habui faciles in mea uota deas.
Dum Veneris flammas luſit ſibi prima iuuenta,
Et ſua laſciuo prætulit arma pede.
Huc ades, & pleno ſpatiare per aëra curſu,
Crux adeunda bonis, crux adeunda malis.
Te duce concipiam quicquid formatur olympo,
Cura licet pedibus ſit minor illa meïs.
Nunc maiora peto, pleno Deus ille Deorum
Tempore fatalem ſenſit adeſſe diem.
Præparat ante necem collectis omnibus unà Ieſu Chriſti menſa.
Diſcipulis cœnam, præparat ille dapes.
Non erat hîc Iunonis auis, non turdus opimus,
Non lupus Euganeï gloria prima ſoli.
Diſce tuas penitus cohibere ſuperbia uires,
Nil habet immenſi qui regit orbis opes.
Agnus erat lactens, pro quo mactandus & ille,
Ille Deûm genitor, qui pius agnus erat.

Vix



Vix conſumpta fames epulis & uina remota,
Edidit æthereus talia dicta pater.
Dum licuit, ſemper monui uos quærere leges, Cœna dominica ex euangelio in paſſione.
Quas pater expoſitis iuſſerat eſſe polis.
Vos equidem, ſed non omnes, præcepta tuliſtis,
Quæ dedimus, ſunt quos dira uenena iuuant.
Accipite hæc animis, & toto pectore dicta
Diſcipuli, uobis non ego falſa loquar.
Vnus adeſt, qui me perdet ſed morte cruenta,
Vnus adeſt, in me qui noua tela gerit.
Sed melius ſi non hauſiſſet ſyderis umbras,
Et medio in partu uiſcera rupta forent.
Finierat genitor, tacitas in pectore curas
Concipiunt, Iudas in fera tela ruit.
Dumq; parat fatum, uirides pater optimus hortos Chriſtus hortũ petit.
Ingreditur, paucis & comitatus abit.
Et ſic, accenſo gemitus de pectore fundens,
Alloquitur, calicem da mihi care pater. Chriſtus orat in horto.
Da genitor calicem, da uincere pocula mortis,
Tranſeat à noſtro corpore flamma necis.
Sin minus hoc liceat, fiat tua ſancta uoluntas,
Summe pater facio quæ pater ipſe iubes.
Dixerat, & toto manabat corpore ſanguis, Chr̃s ſudauit ſanguinem.
Vt ruit effuſis concitus hymber aquis.
Nec ſatis hoc uiſum eſt, iterum rogat ille parentem,
Nuntius è ſummo labitur ecce polo.
Dat gladios, dat tela necis, mortemq; cruentam, Angelꝰ e cœlo hortat̃ Chriſtum.
Dat calicem mortis, dat fera tela pati.

 Attonitum

Attonitum iuuenem uerbis demulcet amicis,
Inſuper exponit quæ pia cauſa foret.
Nil timeas præſtans animi, pia cura deorum,
Victor eris, uicta morte trophæa feres.
Proditio Iudę. Talia dum loquitur, toto ruit agmine Iudas,
Et properat regis proditor eſſe ſui.
Dixerat ille ferox, & tygride durior omni,
Proditionis ſignũ. Oſcula cui dedero, rex erit ille Deûm.
Ille tenendus erit, totoq; ardore petendus,
Ne fugiat ueſtras perfidus ille manus.
Chriſtus capitur. Protinus inuadunt regem, furor undiq; ſæuit,
Vt fremit audita miles in arma tuba.
Ah nimium triſteis collo impoſuere catenas,
Aurea in immundo puluere tracta coma eſt:
Hic caput, hic collum, diuinaq; pectora cædit,
Hic lacerat uultus, hic latus enſe ferit.
Petrꝰ petit Malchum. Hoc uidet indignum, furibundo pectore Petrus
Non tulit, & Malchum protinus enſe petit.
Chrs ſanat Malchum. At Deus accenſo poſtquam damnauerat ore,
Vulnera ſanauit, compoſuitq; luto.
Chriſti accuſatio apud Pilatum. Ducitur ad Solymos, populus uocat ante tribunal
Iudicis, & mortis nuntiat eſſe reum.
Non ſcelus inuentum eſt, quid enim commiſerat ille?
Ille Deus ſummi gloria uera patris?
Hunc tamen exagitat populi clamore Pilatus,
Atq; unum in toto corpore uulnus erat.
Chriſtus trahit ad mortẽ Caluarium. Interea Chriſtus ſummi ad Caluaria montis
Ducitur, exciderat forma ſerena Deo.

Senſerat



Virgo Maria in Chri paſſione. Senſerat hoc mater pectus percuſſa decorum,
Et laniata ſinus, & laniata comas.
Ingreditur Solymos, caſus dolet illa recentes,
Vt ſolet ad nati mater itura rogum.
Ingemit, ut natum medijs aſpexit in armis,
Ad natum uultus ſuſtulit illa gemens.
Virginis Marię in paſſiõe lamentatio. Concidit in primo, tantus dolor occupat illam,
Lumine, ſed uox eſt facta dolore tamen.
Sic ait illacrymans, tu ne es, tu ne illa parentis
Gloria, de cœlo quam mihi nate dabas?
Hæc matri promiſſa fides? quam ſydere ab alto
Felicem dixit nuntius ille Deûm?
Tu ne puer miſeram potuiſti linquere matrem
Infelix? non eſt hoc pietatis opus.
Quæ te cauſa mori crudeli funere adegit?
Vnica qui matri cura futurus eras?
Quæ uos ad tantum ſcelus intulit atra libido
Iudæi? ueſtras obruet ignis opes.
Obruet unda lares, ſi magni cura tonantis
Aſpicit hæc, nullas audiet ille preces.
Tales illa ſuo fundebat pectore queſtus,
Vincitur at nulla gens Solymæna prece.
Turba Deum ſequitur, caſus, & fata dolebat,
Quæ Iudæa tibi Roma datura fuit.
Vix bene fatalem montis conſcenderat arcem,
Chriſtus crucifigitur iter duos latrones. Infelix medio ponitur ecce loco.
Latrones inter turbæq; exempla ſceleſtæ
Ponitur, & ſceleris creditur eſſe reus.

 Erigitur

Christus orat pro crucifigẽtibus. Erigitur felix arbos, monet ille nocenteis,
Orat proq; ſuis hoſtibus ille patrem.
Quumq; ſui moriens generis monumenta ſitiret,
Christo ſitiẽti datur fel & acetum. Iudæus fellis pocula plena dabat.
Hic uos eripuit medijs ex hoſtibus olim,
Ne premerent hoſtes, per mare fecit iter.
Inuectio cõtra Iudęorũ ingratitudinem. Vos (ſcelus indignum) per uulnera mille dediſtis
Funera, non meritis hæc pia ſumma uenit.
Hic dedit ambroſiam, patria quum pulſus ab urbe,
Incultas coleres hoſte premente domos.
Ille tibi elicuit uiuo de marmore fontes,
Et dedit arentem poſſe leuare ſitim.
Tu Iudæe ferox ſtygijs de fontibus undas
Porrigis, hæc meritis debita ſumma uenit?
Iam medio Titan uoluebat in æthere currus,
Chr̄s morit. Latro felix comitat Chriſtum. Quum Deus in cœlum proſpera uela dedit.
Hunc Scynis infelix quondam comitatur euntem,
Victor at infernas ille petebat opes.
Chr̄s deſcẽdit ad inferos. Clauſerat horendas in primo limine portas
Dis pater, effractæ ſed patuere fores.
Chriſtus eripit ꝓphetas ex orco. Ille ſuos rapuit deuicta à morte parentes,
Et tulit audaci per loca ſumma pede.
Quum tamen æternas auras efflaſſet IESVS,
Signa viſa in morte Chriſti Extimuere ſuum cuncta elementa ducem.
Et doluit fugiens crudelia funera Titan,
Occuluitq; ſuum territa luna caput.
Et lapides inter lapides fera bella tulerunt,
Auerſas petijt territus amnis aquas.





Mons quoq; ſubſedit, manes exiſſe ſepulchris
Creduntur, cineres & poſuiſſe ſuos.
Et Solomoneis ceciderunt uela theatris,
Multaq; præterea monſtra dedere fidem.
Iebuſæa tamen gens nullis territa monſtris
Sæuit adhuc, diro crimina calle petit.
Tertia ſydereum iam lux luſtrauerat orbem, Chriſti anaſtaſis.
Quum ſubijt cineres candida flamma ſuos.
Venerat ad tumulum mater, uenere ſorores, Mulieres viſitãt tumulum.
Diuinum tumulo nil ſupereſſe uident.
Dumq; ea mirantur, ſummum nouere parentem Angelus apparet mulieribus.
Exiſſe, & uerbis addita uera fides.
Diſcipulus renouat fideï monumenta, Deosq;, Thomæ incredulitas de Chr̄i anaſtaſi.
Singula dum tangit uulnera quinq; Dei.
Nunc ſubit, ut rerum renouat miracula Chriſtus,
Et condit leges, quas dabat ante Deus.
Venerat illa dies, qua uertice ſydera tangit,
Illa tamen pedibus non adeunda meïs.
Tunc mihi, tunc ueniet Maijs celebranda calendis,
Quum ueniet, nitidi plena fauoris erit.
Illa fores felix late reſerabit Olympi,
Deditus eſt ſacris pluribus ille dies.
Surgit ab ætherijs ridens Patricius oris, Patritij epi & cõfeſſo.
Qua micat igniferi lactea flamma poli.
Ille uidens terras uirides, & gramina campis,
Audet in umbroſum non ſemel ire nemus.
Dum uenit in terras, circo non amplius illo
Phœbus erit, terris exeret ille caput. Sol in Ariete.

Dum me ſcʿcta iuuant, cœlo dum ſigna mouentur,
Viſus eram medios inter adeſſe Deos.
Ille pater ſuperum (cœli mihi multa patebant)
Forte dabat leges, legibus atq; uias.
Anſelmi epi et cõfeſſo. Prima dies aderat ſacris celebranda latinis,
Et dabat Anſelmo non moritura decus.
Concilium uocat ille Deus, uenere uocati
Cum cauſis breuiter quid uelit ille refert.
Mens fuerat terras fatalibus urere flammis,
O ſuperi, melior cauſa reperta fuit.
Eſt mihi, ſitq; precor, uirtute ualentior omni
Caſta puella, dea eſt illa futura mihi.
Annũtiationis virginis Mariæ, Quid memorem illius laudes? quid præmia mentis?
Dignior in terris una reperta fuit.
Illa olim regina poli terræq; marisq;,
Accipiet noſtra ſerta beata manu.
Hanc ſtatui noſtro meritam ſuccumbere nato,
Iam licet humanas induat ille uias.
Dixerat, annuerant omnes, uocat ille miniſtrum,
Tum Gabrielus adeſt, hic prior unus erat.
Quid uelit ille monet, breuiter mandata faceßit,
Nuntius ad ſacræ uirginis ora uenit.
Angelꝰ ſalutat Mariam virginem, Salue ait, ò uirgo regem paritura Deorum,
Inter cœleſtes ſemper habenda nurus.
Accipe ſyderei mecum portanda per auras,
Verba patris, meriti eſt hæc pia ſumma tui.
Nuper ab ætherijs ueniet rex inclytus oris,
Filius ut peragat iuſſa uerenda patris.

Ille ho



Ille hominum uitam accipiens tua numina inibit,
Concipiesq; Deum de genitore Deo.
Nondum ego ſum, dixit, thalamos experta iugales,
Hoc fieri dicas qua mihi lege poteſt.
Spiritus ille ſacer tecum ſua munera inibit,
Dixit, ne timeas, annuit illa Deo.
Protinus immenſi quem non complectitur orbis
Regia, nec tellus, nec grauis unda freti,
Conditur in matris gremio, comitantur euntem,
Sanctaq; Maieſtas, & tria dona Deûm.
Spes, amor, & ſyncera fides, quæ temperat orbem,
Maior amor fuerat, nec minor ipſa fides.
Tu Dea terrarum, & cœli regina potentis,
Quæ fueras alio diua canenda pede,
Ablue nectareo mea pectora ſicca liquore,
Et referes aditu cœlica templa tuo.
Sic tibi ab Aſſyrijs terras ſulcabit arator,
Creſcet & in nitido ſemine culta ſeges.
Sic Methymna tibi, cui ſæpe beatior annus,
De pleno referet pinguia muſta lacu.
Fallimur? an uere poſtes patuere Deorum?
Fallimur? an dextra perſonat aure polus?
Vox eſt uera quidem, ueros agit ille receſſus,
Et renouat ueteres conditor ille locos.
Nuntiat ille dies lætas, populisq; quietem,
Et canit æterna limina clauſa fera.
Quæ nuper clauſere duces poſt bella cruenta,
Poſtq; feros luctus, funereasq; faces.

 Vos

Vos quoq; perpetuam ſuperi concedite pacem,
  Claudite perpetua limen utrunq; ſera.
Qua mare, qua totus terrarum clauditur orbis,
  Ipſe ſuo Paulus temperat arbitrio.

Pauli pōt. max. laus.

Ille quidem Deus eſt, Deus eſt, Deus ille futurus,
  Et maiora mihi, quàm reor, ipſe dabit.
Ille ſuam pacem populos diffundit in omneis,
  Donat & æternum quod Deus ipſe dedit.
Ille quidem Paulus, nec non & maximus ille,
  Dum per utrunq; orbem ſerperet atra lues:
Indulſit populis ueniam, pacemq; precatus,
  Conuertit ſuperos in meliora Deos.
Protinus effugiunt peſtis contagia mille,
  Terrarumq; ſibi redditus orbis erat.

Pauli epi & conf.

Paulus adeſt, illi laudes & dicite carmen,
  Quo cadat in nihilum uindicis ira Dei.
Creditis expulſos hoſtes ſine numine diuûm?
  Creditis ereptas ignibus eſſe domos?
Vidimus irato deſcendere fulmina cœlo,
  Carmine ab extinctos uidimus eſſe focos.

Didus hiſtoria ex Virgilio.

Carmine, tanta fides, genitores mouit Hyarbas,
  Tunc cum Dardanio nupſit Eliſa uiro.
Illa timens fratrem, poſt funera dira mariti,
  Deſeruit patrias hoſte ſequente domos.
Poſt uarios caſus, poſt longa pericula, tandem
  Conſtitit in Lybicis uix bene tuta locis.
Tunc populis leges late dicebat Hyarbas,
  Vendidit exigui iugera pauca ſoli.

Vendidit



Vendidit & quantum taurino cingere tergo
  Vix poterat, paruæ quod foret urbis opus.
Illa bouis pellem tenues deduxit in orbes,
  Et ſubito latas condidit urbis opes.
Venerat Æneas Romani ſanguinis autor,
  Pulſus erat patria, pulſus uterq; ſua.
Et pater, & natus, quem ſyluis condidit altis
  Alma Venus, ſub quo præſide bella gerit.
Illa rogat natum, uultus ut ſumat Iuli,
  Vtq; ſolet flammis regia corda domet.
Ipſe puer peragit, quantum Venus alma iubebat,
  Vritur, in flammas in fera fata ruit.
Detegit hanc culpam ſoli male ſana ſorori,
  Mactatas ſacris conſulit illa boues.
Dant mala ſigna necis uates, tamen omnia credit
  Optima, felices credidit illa Deos.
Iamq; dies aderat magni prænuntia luctus,
  Qua iuncta eſt diro nuptaq; uirq; thoro.
Illa feros uultus lacrymoſaq; funera uultu
  Prætulit, à tumulis exiliere ſoni.
Nuntia fama mouet populos, mouet illa tyrannum,
  Suſtulit ad magnum talia uerba Deum.
Magne pater, toto quem uere credimus axe
  Mittere turbata fulmina torta manu,
Hactenus heu uiduos ſine prole peregimus annos,
  Ætatiq; fuit gloria nulla meæ.
Nunc amor ipſe mihi uires dabat, ille reliquit,
  Contempſitq; meos fœmina nupta thoros.

Audiſt

Audijt omnipotens genitor, iubet ire miniſtrum,
Nuntiat Æneæ talia dicta Deus.
Vade age, & Italiam, tibi quam promiſit Apollo,
Conuenias, ſedes illa petenda tibi eſt.
Soluerat Æneas à littore, regia Dido
Præparat accenſos in ſua fata rogos.
Seq́; thoro imponens gladio percuſsit acuto
Pectora, mortaleis deſeruitq́; uias.
Impoſuitq́; ſuper tumulo breue carmen, in illo
Inſcripſit mortem perfidiamq́; ducis.
Secundi mart. Currit ab extrema menſis regione Secundus,
Quæ Chriſtus dextra tradidit arma gerit.
Balbinæ virg. Parte alia uirgo menſem claudebat, & alte
Currebat caſto caſtior orbe uias.
Dixerat hæc Pallas, ſubito ceſſere calendæ,
Nunc mihi, nunc alia eſt meta terenda rota.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

## LIBER QVARTVS.

VNDE Nouo ueniunt flagrantes æthere nymbi?
Quos ducit feſta Calliopea manu.
Ecce deas uideo gemini de uertice montis
Scandere cœleſtes, ſunt ubi fata, uias.





Iam licet æternis Parnaſsi errare ſub umbris,
Templa uacant, Clario templa dicata Deo.
Laurea palma uacat, nullo cuſtode relicto,
Araq́; in immundo uix bene nota ſitu eſt.
Cauſa latet facti, dubias & currit in umbras
Neſcia mens, certi quum uidet illa nihil.
Qualis inexpertus uentis agitatur, & undis
Nauta, peregrinos nec timet ire locos.
Dicite uos elegi, quibus eſt manifeſta Deorum
Regia, iudicijs illa timenda meis.
Hoc mihi fama negat, uobis licet omnia fari,
Errat & ad ueſtros cauſa reperta pedes.
Quis neget in ueſtris errare Cupidinis arma
Sedibus? in ueſtris illa reperta thoris.
Omnis amans uobis dulci cantatur auena,
Quicquid & in terris flebile fecit amor.
Per uos Penelope ueſtras peruenit ad aures,
Famaq́; uix tanto munere digna fuit.
Colchidis & flammæ, diriq́; in corde dolores
Phyllidis, & lacrymæ collaq́; uincta manu.
Hypſiphyle nota eſt, nota eſt & Apollinis uxor,
Quæq́; nouis cinxit ueſtibus una caput.
Pægaſis Oenone Phrygio contempta marito,
Quæq́; comes cæſo dicitur iſſe uiro.
Quæq́; uiro ueſtes maculatas ſanguine diro
Miſit, in horrendis credula facta malis.
Et quæ fallaci uatem male prodidit auro,
Et quæ ſola ſuo eſt fida reperta uiro.

Per uos noſſe licet nympharum nomina, per uos
Notus Hylas, medijs quem Dea merſit aquis.
Inter Amadriades, inter Driades'ue puellas,
Ludere fas uobis, inter & aſtra poli.
Quinetiam audetis deducere uertice muſas,
Et uati alternos dinumerare pedes.
Elegia dux poëtæ in hoc libro.
Talia fatus eram, templis Elegia relictis,
Venit inornatis in mea tecta comis.
Sed quia læta dies fuerat cantanda, capillos
Colligit, & ueſtes colligit ipſa ſuas.
Dum ſilet, & plectri moderatur numen eburni,
Lapſa polo in terras, candida ueſtis erat.
Induit, & Tyrio circundat murice lymbos,
Hic decor, hæc ſpecies, hic color aptus erat.
Et ſedet à dextra, læuaq; à parte ſorores
Accumbunt, tales excitat illa ſonos.
Quum Venus æthereas delapſa relinqueret oras,
Et foret in medio nuda reperta mari.
Venit ad Auroræ thalamos delata carina,
Venit ad occiduum per freta longa diem.
Errauitq; diu totis incognita terris,
Conſtitit in medijs laſſa puella locis.
Et ſuperans collem partes aſpexit in omnes,
Et ſua diuina ſemina fudit ope.
Aſſyriæ pia thura dedit, quæ tempore feſto,
Vrit odoratis balſama toſta focis.
Illa crocum fundens omni lætatur odore,
Et gaudet uario cingere flore caput.

Cinnama



Cinnama naſcuntur, ſurgit flos gratus Amomi,
His terris non eſt ditior ulla ſeges.
Indiæ laus.
India mittit Ebur, peregrino nauita cœlo,
Per maris undoſas ſæpe requirit aquas.
Ille licet uentos, fluctus patiatur, & æſtum,
Nil timet, audaci curret in aſtra pede.
Ægypti laus.
Ægyptus cum flore roſas & frigore duro
Producit, terræ conuenit illa ſeges.
Italiæ laus.
Ipſa tamen melior tellus Saturnia, fruges
Bis parit, innumeros procreat illa greges.
Bis grauidas paſcit pecudes, armenta leonum
Neſcit, crudeleis non habet illa feras.
Palladis arboreos fœtus alit, optimus æther
Circuit, æſtati frigora mixta uides.
Quid memorem fluuios? uultu quibus illa ſereno
Vtitur, & ſacros quos habet illa lacus?
Quid memorem fontes? quibus eſt fœcundior annus,
Et loca cœleſtum proxima facta locis?
Hîc habitant Veneres, cœlo Saturnus ab alto
Creditur his ſedes inſtituiſſe locis.
Dicitur & poſito belli certamine Mauors,
His latuiſſe locis, his latuiſſe iugis:
Syluia Veſtalis dum flumina nota pererrat,
Vt peragat caſta ſacra pianda manu.
Hæc ſuperum ſedes, hæc eſt gratiſſima tellus,
Hæc eſt uel Phœbo, uel Ioue digna coli.
Quæ colat ille uidet, cœlo dum ſpectat ab alto,
Conuenit ingenijs Italis ora meis.

Illa

Illa Deûm tellus, illa celeberrimus æde
Semper ero, noſtris conuenit illa thoris.
Et quum Romuleo latas extendet habenas
Imperio, grates hic mihi uictor aget.
Iura triumpatæ gentis ponentur ad aras,
Quas dabit inuicta conſul uterq; manu.
Hîc dea Maieſtas ſuperûm defendet honores,
Et dabit effuſa thura Sabæa manu.
Vera canam, nec falſa fides adhibenda canenti,
Sit licet in noſtris fabula nata thoris.
Iuppiter humana dum luſtrat imagine terras,
Conſtiterat Thyberis quo fluit unda loco.
Cumq; ſuo Ganimede Deos huc conuocat omnes,
Porrigit ille Ioui raptus in aſtra dapes.
Affuit hîc Iuno, ſed non inuita, mariti
Conſilium laudat, laudat & ipſa locos.
Deſeruit doctas genialis Pallas Athenas,
Nec uiſa eſt Cretes caſta Diana iugis.
Et Venus orta mari natali ſede relicta,
Aurea purpureis ſederat ipſa locis.
Dixerat ipſe Deus, dum terræ laudat honores,
Hæc Veneri tellus debita ſemper erit.
Illa memor dicti cœli de ſedibus altis,
Huc uenit, & Veneres conuocat illa ſuas.
Conuocat & Genium, poſitis Deus ille ſagittis
Aduenit, & uultus aßidet ante Deæ.
Aßidet ante comas, flores componit in unum,
Aptat & ad dulces pectoris ille ſinus.

Imperat



Imperat illa ſuum celebrari ex ordine menſem,
Qua cœlum, & tellus, qua grauis unda ſonat.
Et Pangæa petens animoſo flumina uultu,
Pierides ducit, quas habet ille locus.
Ducit Amadriadas, omneis iubet ire Napæas,
Nereidum uirides imperat ire choros.
Non igitur mirum, Phœbi ſi nuper ab arce,
Ad Venerem gaudent non ſemel ire Deæ.
Illa ſedens inter medias uernante capillo,
Et collecta ſinus talia uerba mouet.
Surgit læta dies cœli de parte ſerena,
O ſuperi nobis illa dicata dies.
Sic uoluere Cures, ſequitur pia cura nepotum,
Auſpicio gaudet nominis illa mei.
Illa nouas ſegetes renouat, ſolemq; reducit,
Hic color, hæc ſpecies, hic mihi gratus honos.
Res eſt nota quidem, naturæ ab origine prima,
Aptum delitijs & mihi tempus erat.
Nec uos o ſuperi mihi talia dona negate,
Iuppiter in cœlo quæ dedit ante mihi.
Dum loquitur ſpirat diuino à pectore flammas,
Quodq; poteſt uiuos fingit in ore Deos.
Ludit, & ad ludos Nymphas uocat illa, Deosq;,
Dum ſua ſacrari tempora rite uidet.
Imparibus numeris tales Elegia receſſus
Soluerat, in noſtri parte futura thori.
Prima dies oritur, uirides habet illa coronas,
Phœbus iter, faciles dat quoq; luna uias.

E  Illa quî

Illa quidem ſacris uigilat, dominamq; potentem
Conuocat, & diuûm nomina rite colit.
Theodoræ virgi. & mart. Illa Theodoræ nomen deducit Olympo,
Quæ ſua ſeruatæ præmia mentis habet.
Qualis Amazonias ſuperauit honore puellas,
Oreithyia ferox, qua duce regna micant.
Illa triumphales currus deduxit, & arma,
Imperio uires contulit illa ſuo.
Tantaq; uirtutis fuerant miracula notæ,
Ægidæ ut nullas illa timeret opes.
Corporis has dotes animo firmauit, & auxit,
Felices artus dum tulit una dies.
Nec minor Antiope, quamuis minor, illa ruentes
Suſtinuit turmas, militiæq; duces.
Nunc ſequar audaces curſus, & numinis umbras,
Quas uideo nobis accumulaſſe patres.
Pauli pōt. max. laus. Hoc mihi Romanus uultu promittit amico
Iuppiter, illius munere uictor ero.
Ille mihi maiora dabit, qui iura Deorum
Reſtituit, cœli ſydera, templa, Deos.
Hoc duce Romani nullam ſenſere ruinam,
Nil timet aduerſas hoc duce mundus opes.
Omnia dat Paulus, nihil eſt quod deneget ille,
Dextera ſurgentes obruit alma focos.
FLECTITVR ira Deûm, quoties ſurgētibus aſtris
Intonat, & mundo quum redit alma dies.
Sancte pater patriæ, cuius uirtute redempta eſt
Aula Dei, per quem nil ſibi terra timet.

Reſpice



Reſpice nos, propiusq; tuo des uela poëtæ,
Ille tuo felix numine condet opus.
Incipiat per te uirtus male cognita mundo
Altius, ut fas eſt, exeruiſſe caput.
Illa tuæ ſpectans uirtutis præmia notæ,
Non potuit cœli non tibi iura dare.
Illa mouere poteſt, animus tibi magnus abunde eſt,
Ille iubet meritis præmia digna dari.
Et maiora iubes, tua ſuſcipit omnia uirtus,
Nec mirum, æquati ſuſtinet aſtra poli.
Vna uenit labe inſignis, nunc tota pudica eſt, Mariæ Ægyptiacæ matronæ.
Niliacas gentes ad ſua dona uocat.
Præponitq; nihil niſi caſti præmia uentris,
Et Veneris pharetras, & fera tela mouet.
Dum Venerem ſequitur, Solymas errauit ad urbes,
Et crucis æratas uenit aduſq; fores.
Pulſa fuit primo, ſolis errauit in aruis,
Quæq; fuit Veneris filia, nupta Deo eſt.
Teſtis adeſt, fidei manibus qui firmet habenas, Pācratij mart.
Iungitur ille Deis, lilia corde micant.
Aſpice ut incedit tardus de uulnere, uultu
Ignea flamma micat, ſanguine tela rubent.
Nuper mirabar uarios imitantia uultus
Sydera, quæ fuerat maxima cura mihi.
Soluit Iſidorus, quantum mens ipſa petebat, Iſidori mart.
Rettulit & lunæ quod ſolet eſſe nocens.
Si matrona tibi patriam defendet ab igne,
Sis memor, in uotis uis quoq; magna fuit. Voti vis.


Quum

Quum ferro Æneas flammisq́; illæſus abiret,
Creditur ad patrios uota tuliſſe Deos.
Dicitur & uotis bellum firmaſſe Quirinus,
Quum Tatius Romæ fraude petebat opes.
Martius ille pater ludi ſimulauit honores,
Sabinarū raptus. In quibus eſt forti rapta Sabina manu.
Conuocat hinc raptas Tatius,bellumq́; negatis
Præparat,in bellis maximus ille fuit.
Præparat Iliades tutus genitoris in armis,
Hoſtis adeſt,arces ingrediturq́; Iouis.
Tarpeæ proditio. Illa forte die ſacris Tarpea petebat
Nectareos fontes proſilientis aquæ.
Capta fuit ſubito ſignis quæ miles habebat,
Capta fuit donis,aurea dona petit.
Et Tatium,atq; hoſtes uerbis blandita profatur,
Si dederis gemmas, omne patebit iter.
Altaq́; Saturni tanges capitolia uictor,
Imperiumq́; tibi Romulus ipſe dabit.
Munera promiſit,reſerata perfida porta,
Infelix hoſtes accipit illa ſuos.
Senſerat has clades,nocituraq́; tela Sabini
Romulus,& ſocios in fera tela uocat.
Conſeritur ſubito bellum,miſcentur ubiq;
Prælia,concurrunt in fera fata duces.
Hoſtius utq́; animam uacuas efflauit in auras,
Romani hoſtiles pertimuere manus.
Hac illac fugiunt, nec libertatis honores
Succurrunt animo nec uiolata fides.





Romulus æthereo uouit pia templa tonanti,
Qui fuit attonitus miles in arma uenit.
Quum fera Tiſiphone fremeret, quū triſtis Erynnis
Sanguinea quateret bellica ſigna manu.
In medium uenere nurus, lacrymisq́; precatæ
Hinc regem, & patres,nec minus inde uiros.
Compoſuere iras,tunc bellica flamma quieuit,
Et Tatius facto fœdere mitis erat.
Ille dedit leges Romanam adſcitus in urbem,
Et ſocius regni iure uocatus erat.
Venimus alterno extremas ad pectore nonas,
Templa colunt,ſacri muneris inſtar habent.
Quæritur illa dies, Vincentius ornat, & omnes Vincētij confeſ.ordinis pdi.
Ille Deos poſcit, dum ſua feſta uidet.
Ille Deo afflatus diuino condidit ore
Sydera, collapſos reſtituitq́; Deos.
Nomen habet terris, & parte beatior omni,
Heſperio tamen eſt proximus ille ſolo.
Proximus ille uenit uita laudatus,& annis, Cœleſtini pōt.max.
Qui bene de cœli nomine nomen habet.
Surgit Alexander cœlo gratiſſimus alto, Alexādrini mart.
Sanguine cœleſtes contigit ille uias .
Idibus extremis Romana cernis in urbe Translatio S.Monicæ ab hoſtio Tyberino ad vrbē Romam.
Reſtitui ludos,quos habet una dies.
Roma colit numen,colit & Phœnicia tellus,
Dat matri dignas illa uel illa preces.
Illa parens felix fructu fœcunda,peregit
Qui bene pro Chriſto,quid Deus,unde Deus.

Leonis pōt. max. & mart. Zeni epi & confeſ.

Hinc renouat ſua templa Leo, quo nomine lætus,
Ille Leo Tuſci gloria magna ſoli.
Zenus adeſt, noui uultus, nomenq́; parentis,
Signa Deum noui per ſua, Zenus adeſt.
Ipſe Diaſcorides lunæ tibi nuntiat ortus
Idibus, & ſolis diſſerit altus equos.
Hunc ſequitur Galenus habens in pectore uires
Herbarum, medica uulnera ſanat ope.
Proximus Auerois rerum qui pandit habenas,
Fundit Erythræas ille uel ille dapes.
Maximus Euclides cœlum metitur, & orbem,
Terrarumq́; locos, æquoreumq́; ſolum.
Crudelis Pharao nulla placabilis arte
In Moſen, medijs obrutus ardet aquis.

Vlyſſis vagatio ſecũdũ Homerum.

Brennus agit turmas, peditesq́; equitesq́; repoſcit
Ithacus, & remos & ſua uela regit.
Ille miſer poſtquam Troianas perdidit arces,
Omniaq́; in cineres hauſerat ignis edax:
Nauigat, & patriam remo uentisq́; petenti,
In patriam reditus clauſerat ira Deûm.
Venerat infœlix uentis agitatus, & undis,
Ad Siculos, illic perfida turba fuit.
Venerat ad Circen, ſocios mutauerat illa
Carminibus, celeres illa tenebat aquas.
Poſt maris undoſi fluctus, tonitrusq́; ruenteis,
Venerat ad patrias non bene notus opes.
Oppreſſamq́; domum cæcis tamen hoſtibus ultrò
Inſtituit, fida coniuge liber erat.

Mutius



Mutius ſceuola & quo Val. Max.

Mutius orat opem pro libertatis honore,
Nec timet heu flammis impoſuiſſe manum,
Hoſtibus indigne patiens Romana repoſci
Mœnia, per ferrum, per fera tela ruit.
Inuadit q́; uirum detecto comminus enſe,
Errantem flammis uſſerat ille manum:
Obſtupuit tanto iuuenis feruore tyrannus,
Protinus à flammis redditus ille fuit.
Hos bene laudauit Brutus pietatis honores,
Conſilioq́; urbis prata colenda dedit.
Templa Deûm repetit perterritus Ozius hoſte,
Ingrediturq́; illuc quò uidet eſſe Deos.

Tyburtij Valeriani, & Maximi mart.

Tyburis hic genius fulgens ſpectabitur oſtro,
Aſpice ut in dextra quam bene palma uiret.
Inde Tyburtus erit, quantum de pectore ſanguis
Funditur, hoc uere munere dignus erat.
Nec minor es Valeri, tecum tua gloria quanta eſt
Creſcit, & elatis altior extat equis.
Surgit ad Auroræ radios, & luminis ignem
Ruſticus, & curua lilia falce metit.
Pingitur hàc illàc uaria tibi imagine tellus,
Nympha legit flores, floribus apta dies.
Sedula quærit apis flores, & gramina campis,
Immunemq́; operi non ſinit ire diem.
Sæpe tamen fallit, quamuis operoſa laboret,
Sæpius & duro frigore uicta cadit.
Paſtor Ariſtæus natos, matresq́; peremptas
Viderat, amiſſas indoluiſſe ferunt.

 Venerat

Venerat ad matrem, nato dabat illa ſalutem,
Protheus & uates ipſe petendus ait.
Venerat ad uatem, uates mutatur in ignem,
Induit & uarias, qua ualet arte, uias.
Ille tenet captum, placidoq; ita pectore fatur,
Da pater amiſſum reſtituiſſe genus.
Dixerat, at uates uitulum mactabis, in illo
Protinus enatæ reſtituentur apes.
Orphei deſcenſus ad ĩferos.
Orpheus & uates tanti eſt tibi cauſa doloris,
Quum tibi pro magno crimine dira rogat.
Euridice per te Stygias remeauit ad umbras,
Vnica quæ uati iuncta puella fuit.
Ille mouet Ditem, uacuas deſcendit ad umbras,
Incipit & dulces ille mouere ſonos.
Reddite, fataleis nondum compleuerat annos,
Euridicem dixit, reddite munus erit.
Dixerat, Vmbrarum reges ignoſcite amanti,
Vicit amor, nimio uictus amore loquor.
Reddite, ſi qua uia eſt, ſcelus eſt nõ reddere amãti,
Reddite, ſi qua uia eſt, uictus amore cadam.
Dũ dolet, & queritur cythara modulante dolores,
Protinus umbrarum uicerat ille Deos.
Redditaq; Euridice ſuperas ueniebat ad auras,
Reſpicit infelix, protinus illa cadit.
Dum dolet amiſſam, cœlo ſua fulmina miſit
Iuppiter in uatem, territus ille cadit.
Sol in Tauro.
Phœbus adeſt, tauri tacito pede limina pulſat,
Et ſedet in primis cornibus ille bouis.

Hoc ſub



Aniceti põt. max. & mart.
Hoc ſub rege ſuam palla ſuccinctus, & auro
Clarus Anicetus non ſinit ire diem.
Caij & Sotheris põt. max. & mart.
Caius & alter adeſt, ſua numina cantat uterq;,
Seruat Romanas alter & alter opes.
Addite thura focis, ſacri renouantur honores,
Quos oriens, & quos ultimus orbis habet.
Fama monet, turriq; ſedens ſublimis in alta,
Conuocat hinc populos, conuocat inde duces.
Palladis eſt habitus, cœlo iacet illa relicto,
Et pudet ad thalamos excubuiſſe Iouis.
Falſa quidem referam, ſed non indigna legetur
Fabula, non ueteres induit illa uias.
Magna parens tellus ſeruata palatia cœli
Senſerat, & uires quas habuere Dei.
Senſerat illa dies primi natalis adeſſe,
Præparat illa iocos, præparat illa dapes.
Iunonem inuitat Samiam, iubet eſſe tonantem,
Affuit & clypeo tuta Minerua ſuo.
Induerat Tyrias ueſtes, ornauerat auro,
Ornatum gemmis cinxerat illa caput.
Inuidit Cytherea Venus, uocat illa ſorores,
Inter quas omnes fama ſuperba fuit.
Dumq; mero indulget, Myrthi ſic fatur ad umbras,
Accipe quæ dicam Fama, nec illa neges.
Pallas Oronteo perfudit odore capillos,
Quæ fuerant capitis munera ſola mei.
Tu ueſtes capito, dum ſe perfundet in amne,
Et tacito uenias in mea tecta pede.

 Dixit

Dixit, & aërios ſpirauit uertice odores,
Obſequitur dictis Fama ſuperba Deæ.
Illa uocat natum gelidis à Phaſidos undis,
Hæc loca tentarat frigida nuper amor.
Pallada collectis auidus fouet undiq; pennis,
Vt puer ad uotum iuſſa parentis agat.
Vt placeat lauat illa pedes, & crura, manuſq́;,
Surripuit ueſtes Fama iubente Dea.
Exierat Dea nuda lacu, non inuenit uſquam,
Quas habuit ueſtes, territa in antra fugit,
Illic mœſta iacet, ſed Pauli numine tandem,
Perfruitur Chriſto ſydera celſa petens.
Hoc cultu dat Fama diem, dextraq; uidetur
Tangere ſublimes, qua uelit illa uias.
Hanc celebrat miro ludens Ferraria cultu,
Aureaq; eſt cultu conſpicienda nouo.
Ponit & in ludis primi certaminis aurum,
Quod petit in bellis alter & alter eques.
Cernitur ornato dux fulgentiſsimus oſtro,
Primus adeſt, primos conuocat ille duces.
Amphitheatrales ornantur ubiq; columnæ,
Quas præmit aurata fœmina uirq; manu.
Occupat has ſedes, & ſummi culmine tecti
Belligeros ſpectat proſilijſſe duces.
Prima coronatis ſpectat Dea crinibus, illa
Aſsidet in medijs, ut noua luna, choris.
Tantaq; diuino ſurgit clementia uultu,
Quanta ſerenato Lucifer alme tibi.

Syderibus



Syderibus certant oculi, da munera linguæ,
Audebit magno cum Cicerone loqui.
Adde illi cytharam, cythara componet amanteis
Iratos, cythara ſydera celſa trahet.
Talis Calliope Parnaßi in collibus altis
Dicitur, Aonides quum uocat illa ſuas.
Cingitur ipſa furens certatim in bella iuuentus,
Subdit & admiſſo non leue calcar equo.
Præmia uictori populo plaudente feruntur,
Ducitur ad magni templa ſuperba Dei.
Tum rapido certat iuuenum manus æmula curſu,
Dum properat fines ille uel ille ſuos.
Strozius ille pater nutritus Apolline ſacro,
Cuius in aërio pectore cantat amor,
Dicitur his ludis, ſummas dum ſpectat ad arces,
Dura pharetrati tela tuliſſe Dei.
Ille cupidineos arcus perculſus amore
Dixerat, inq; illo carmine nomen habet.
At tu magne pater terris uenerande Georgi, Georgij mart.
Huc modo deſcendas, hæc tibi feſta dies.
Tu populos urbesq́; uocas ad numina Chriſti,
Te duce cœleſtum terra tenebit opes.
Tu uexilla regis fuſo ſignata cruore,
In quibus & palmæ cernitur eſſe iubar.
Pocula cernuntur nullis æquanda priorum,
Inq; Dei cultu cernitur eſſe nitor.
At tu ſumme pater duris aſſuetus in armis
Mœnibus expellas bellica ſigna tuis.

Te duce

Te duce belligeri capiunt Mauortia reges
Signa manu, per te bellica fama uiget.
At tua ſolenni referunt ſpectacula pompa
Victores prædam, uictaq; tela ducum.
Ad te, deuicta magna ſed cæde Rauenna,
Alphonſus uictor bellica ſigna tulit.
Altera nomen habet, nullis minor illa calendis,
Præmittit magni ſyderis illa iubar.
Marci euãgeliſtæ. Hac Marcus cantandus erit, ſed principe tanto,
Cernimus ad uotum ſemper adeſſe Deum.
Venetum ac eorum vrbis laꝰ: Alma diu tellus, Veneti quam fama ſenatus
Exornat, medio quam tenet unda freto,
Quæ reparas, olim quantum tenuere priores,
Nec ſinis à falſa relligione premi.
Vis tibi uis dicam quare felicia dentur
Sæcula, & in longo te licet ire mari?
Eſt pia Maieſtas multos ſeruata per annos,
Illa regit, dominam te iubet eſſe maris.
Illa iubet Pharias te pertranſire paludes,
Illa facit uentos, uela dat illa tibi.
Hac duce tranſibis ſuper & Garamantas, & Indos,
Quicquid & extremo credimus eſſe mari.
Hac duce iura dabis totis felicia terris,
Hac duce nec terris, tu neq; uicta mari.
Iam referes multos capitolia ad alta triumphos,
Huc ubi diuino munere Marcus adeſt.
Ille dabit uires, uires dedit ante petenti
Federicus Barba- Federicus Latias quum tenuaret opes.

Ille fe-



Ille ferox omnes Latias inuaſerat urbes, ruſſa impator in Italia.
Omniaq; in cineres hauſerat ignis edax.
Illius & gladios iam Phœbus uterq; timebat:
Occurris tanto uiuida ſola malo.
Armataſq; acies ducis terraq; mariq;,
Conſeris & pugnam, pugna cruenta fuit.
Infelix capitur Federicus, ducitur intra Federicus Barbaruſſa capit a Venetis.
Mœnia, Pontificis ſtat miſer ante pedes.
Ille premit collum pedibus, manet impius, addit, Pontifex maximus pedibꝰ p̄mit collũ Federico.
Non tibi ſed Petro, dixerat ille, mihi,
Dixerat & Petro, domito ſic rege triumphus
Ducitur, Auſonij nil timet ora ſoli.
Ille dabit uires, uires dedit ante petenti,
Gallia quum miſeras dilaceraret opes.
Quid memorem cæſoſq; duces? belliq; ruinas?
Quas tibi per multos fata dedere dies.
Vincis, habes laudes poſt diri fulmina belli,
Diceris & nulli ſuccubuiſſe malo.
Diceris & flammas nullas timuiſſe, nec hoſtes,
Semper & ingenio conſuluiſſe tuo.
Illud erat munus Marci, munuſq; Deorum,
In te qui tantum non tenuere nefas.
Vt facis alma Deûm tellus, cui magna poteſtas,
Imperium pelagi cui dedit alma Thetis.
Sit tibi Marcus honos, illo duce ſydera tanges,
Cumq; Deo, quod fas eſt tibi, iura dabis.
Illius in bellis, ſi quæ modo bella ſuperſunt,
Signa colas, illo ſub duce magna feres.

Quinta

Quinta dies ſurgit primis uicina calendis,
Illa canit laudes, illa duobus agit.

Cleti, & Marcelli ni Pont. Max. & mart.

Funera Clete tibi, uitæ tibi cantat honores,
Vt felix roſeo curris in aſtra pede.
Quæ colat in cœlis, & adhuc tua ſigna uidentur,
Mater & ex illo funere uita data eſt.
Proximus ille uenit, uitam cui credere poſſes,

Vitalis mart.

Vitalis, uitæ eſt gloria, mortis honos.

Petri mart.

Plura petis, quem clara Deo Verona creauit,
Subſequitur, mites non habet ille uias.
Dum reſponſa Deûm peragit, nemus hoſtis oberrat,
Immitiq; petit numinis enſe caput.
Inſtat amor, dixit ſoluens Elegia capillos,
Et tenui extremos edidit ore modos.

Maxẽtiæ uiduæ,

Vixq; recedebat, Maxentia limina ſoluit,
Illa mihi menſem condidit, illa dies.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

### LIBER QVINTVS.

QVÆRITIS ò iuuenes, quos in ſua caſtra Cupido
Conuocat, ex omni quum uelit arte Deus,
Cur noua uela petam? quare noua littora pulſem?
Nec placeant portus, quos Cytherea colit.

Calliopea dux poëtæ in hoc libro,

Dicam



Dicam equidem, nec uos longo ſermone tenebo,
Non paſſa eſt tantum Calliopea nefas.
Mens fuerat tenero deducere carmine muſas,
Et non extinctas compoſuiſſe faces.
Et iam uela dabam portu ſecurus in alto,
Quum ſtetit ad uultus Calliopea meos.
Triſtis erat uultu, diriq; in corde dolores,
Protinus hæc toruo pectore uerba dedit.
Quid facis o uates? cur te iuuat ire per umbras?
Quas Venus, & Veneris filius ipſe colit.
Ille quidem puer eſt, ſed agit certamina mille,
Et Venus eſt mitis, ſed noua bella gerit.

Vires Cupidinis et Veneris ĩ Deos veteres.

Illa Ioui indixit bellum, nec diſtulit iras,
Quum patris imperio clauſa puella foret.
Libera quum patrios erraret Læda per agros,
Dilectam tanto nec putat eſſe Deo.
Quum legeret flores caſtis comitata puellis
Europa, à tanto per mare uecta fuit.
Delius ipſe pater telis percuſſus amoris,
Hæſit in Iſſæos pectora chara ſinus.
Difficile eſt, mihi crede, loqui quot uulnera Phœbus
Suſtulit, accenſo dum calet igne Deus.
Montibus errabat, nec ſpes tamen ulla dabatur,
Dura Pharetrati uincere tela Dei.
Ah quoties lacrymans ſola ſuper arbore ſedit
Fata uocans, tantum pectore uulnus erat.
Dixerat infelix quos me ferus ardor in ignes
Ducit? in ardentes cogor abire rogos.

Saltem

Saltem ſi qua mihi ſolatia, ſi qua uiderem
Vulnera curari, quod negat acer amor.
Poſſe pati fateor, negat hoc, negat impius ille,
Ibimus in flammas, ſic iubet ipſa Venus.
Accipiam pennas, uultus mutabor in omneis,
Paſtor ero, noſtris cædet amica malis.
Erigonen falſa Liber decepit in uua,
Iuppiter Æginam luſit in igne ſuam.
Et Neptunus equo Cererem mutatus amauit,
Luſa Dea eſt, felix ſic ſua uota tulit.
Ille Deus, licet ille puer, mortalia uerſat
Pectora, & in dominos ius habet ille Deos.
Si qua tibi flamma eſt, uates operoſe dierum
Pelle, Nocens nullas ignis habebit opes.
Nec tibi deficiet Paulus noua gloria mundi, — Pauli pōt. max. laus.
Qui cui ſint tantum præmia danda uidet.
Et quoniam Maio quæris data nomina menſi,
Accipe, non fallam, me duce tutus eris.
Solue ratem pelago, duce me tutiſsimus ibis,
Dædaleaq; petes ſydera tutus ope.
Certa fui, poſtquam crudelia bella reliqui,
Edere quæ ſcribas conueniente lyra.
Accipe, iam primæ menſis uenere calendæ,
Templa patent, dextro pectine pulſat ebur.
Cætera turba ſilet, cauſasq; ediſcit ab una, — Cauſa nominis Maij.
Illa dari menſis nomina prima refert.
Quum pater æthereus cœlo ſublimis in alto,
Conderet immenſas diuitis orbis opes.

Sydereumq;



Sydereumq; iubar ſumma ſtatuiſſet in arce, — Angeli ſuperbi e cœlo in tartara detruſi.
Comtempſit leges perfida turba Dei.
Et uoluit primas cœli ſibi ſummere parteis,
Primaq; cœleſti condere iura ſolo.
Senſerat hoc ſummi multum uigilata parentis
Cura, mali ſocios cum duce ab arce fugat.
Signauitq; locos, ubi Cerberus ore trifauci
Aſſidet, & duras excubat ante fores.
Quæ ſcelus expauit, cœlo ſua ſigna reliquit — Angeli boni confirmati.
Turba, Deo ſedes reſtituitq; ſuas.
Conſtituit leges, maieſtatemq; decoram,
Illa Deos omneis in ſua iura tenet.
Protinus illa dedit partu noua nupta pudorem,
Quicquid & in ſacra uirginitate ſedet.
Aſſidet illa Deo, cuius fidiſsima cuſtos,
Iure ſibi primas uendicat illa domos.
Hanc colit, hanc ſequitur ſtellati curia cœli,
Deq; triumphatis hoſtibus aſtra dedit.
Hinc data ſunt uere Maio ſua nomina menſi,
Si memini ueteres officioſa uias.
Vix ea mandarat, tenuere ſilentia cunctæ,
Ibat ad incurſus ſed tamen illa nouos.
Dixerat in pretio fuerant tibi Roma Quirites,
Quos dederat populo conditor ipſe duces.
Hinc menſis, quem nulla poteſt abolere uetuſtas,
Vltima quæ ratio eſt de tribus una placet.
Maia fuit uirgo præſtanti corpore nata
Pleiones gremio, quam tulit alma Thetis.

F Hæc

Hæc peperit coniuncta Ioui, qui nuntia portat
Verba patris ſummi, per loca, templa, uias.
Mœnalijs colitur templis, & magnus habetur,
Forſitan & noſtris non minor ille iugis.
Inde puer genitus matri mandauit honores,
Menſis, & à Maia nomina Maius habet.
Dixerat, aërios componit in ordine flores,
Spirat & immenſum non ſemel illa iubar.
Inſuper hæc addit, Cythara reſonante poëta
Incumbas ſacris, hîc tibi nomen erit.
Iam tibi ſurgat opus, iam me duce uela reponas,
Primaq́; ſit ſedes cognita prima poli.
Iacobi & Philippi apoſtolorum. Templa coronantur ſuperis ueniente Philippo
Sedibus, in patriam diue Iacobe tuam.
Ille tibi cuſtos, cœli cum ſede moueris,
Te ſequitur, ſedes & colit ille tuas.
Par decus eſt illi, ſimili laudatur honore,
Et tua ſunt illi proxima templa Deo.
Ille uigil Syrias ſolus penetrauit ad urbes,
Incoluit raras & Babilonis opes.
Serpentem domuit, qui Martis ab æde prophani
Exierat, miſeris reſtituitq́; diem.
At tu per Solymas fama celeberrimus urbes
Templa regis, ſtudio templa minora tuo.
Poſtera quum monteis primo luſtrabit Eoo
Orta dies, uates dat tibi ſigna Deûm.
Ille Paleſtinos domuit defenſus Olympo,
Terruit, in bellis non erat hoſte minor.

Depoſuere



Depoſuere hoſtes gladios, poſuere ſagittas,
Dum credunt diro fulminis igne peti.
Ipſe Ionadabius primi ſtat limine templi;
Recchabitana nobilis ille domo.
Sacra colens, ſic nam uoluit pia cura Deorum,
Prædixit mores Hiebaalle tuos.
Quæ mens fatidicos temerandi dira parentes?
Seruandos terris quos iubet ipſe Deus.
Quæ tam dira lues animo ſurrexit iniquo?
Vt ſacros ritus perfidus enſe premas?
Aſpice Ioramium, quem triſtia fata tulerunt,
Quum premeret fratres impius ille ſuos.
In primis ueniat tibi dux Athanaſius, ille Atanaſii epi et cõfeſſo.
Contulit ad noſtram plurima digna fidem.
Cœlia mater adeſt, celebres agit illa triumphos, Crucis inuentio.
Alma quibus tellus nil ſibi maius alit.
Nuntiat illa diem Latio populoq́; Quirini,
Qua uenit in noſtros Crux ueneranda ſinus.
Illa diu iacuit multos ignota per annos,
Et iacuit uili condita ad ima loco.
Viderat hoc genitor, qui proſpicit æthere terras,
Et loca quæ ſtygio ſunt data regna Ioui.
Nec potuit cauſas, ut erant, perferre malorum,
Sed natum errorem quo tueatur habet.
Edidit ille animam cœlo, uultusq́; recentes,
Addidit & uires conſilijq́; decus.
Illa diu cura magni nutrita parentis,
Deſeruit patrios hoſpita facta lares.

 Venerat

Venerat ad Solymos, Iudæas territat urbes,
Ecce Dei effoſſo uertice funus erat.
Quærit, & inuenta eſt latitans tellure ſub ima
Lancea, quam iuxta ſpinea ſerta uidet.
Et clauos dextra, dextra læuaq́; locati,
Partaq́; uictori ſigna cruenta Deo.
Hæc ſunt Chriſte tui, ſunt hæc uexilla triumphi,
Hinc fidei leges, hinc tua iura manent.
His Iudæa locis Veneri ſacrauerat aras,
Ne ſubeat leges quas dabat ille Deus.
Cœlia ſed dederat nato non immemor arma,
Quæ tamen in medio uiderat ille polo.
Audierat uocem, ſacro dum fonte lauari
Expetit, hoc ſigno Romule uictor eris.
At mihi feſta dies uere ſignanda per annos,
Hoc niteas uultu quo magis ipſa nites.

Pauli pōt. max. laus.

Sit tibi ſeruatus Paulus mihi maximus ille,
Ille inquam ſummi gloria uera patris.
Nil agit ille Deus ſine te, tua numina ſeruat,
Seruariq́; iubet maximus ille Deos.
In terris Chriſtus, Paulus Deus omnia terris
Temperat, & uires nouit uterq; ſuas.

Alexandri Euentij, Theodoli, & Iuuenalis mart.

Surgit Alexander, concretaq́; nubila pellit,
Quaq́; alte ingreditur parte ſerenat iter.

Aſcenſionis Dñi.

Illa dies oritur, qua rerum maximus autor,
Aſcendit ſuperas, uenerat unde, domos.
Obtulit ille crucis uexilla potentis ad aras
Victor, & inuictæ rettulit arma crucis.

Hic pa-



Hic patris imperio cœlo ſacratur, & una
Cum patre ſydereas temperat unus opes.
Creditur in cineres poſtquam collapſa quierit
Terra, ſuper medias ſigna referre plagas.
Creditur & medio pendens ſuper æthere iudex,
Ad ſua mortaleis iura uocare Deus.
Illa dies tumulis manes exire iubebit,
Præferet horrendas criminis illa faces.
Vix bene ſydereas uictor conſcenderat arces,
Spiritus è ſummo labitur ecce polo.

Pentecoſtes.

Labitur effundens flammæ ſimulachra potentis,
Diſcipulos docuit ſpiritus ille rudes.
Protinus arcanæ legis reſeratur imago,
Notaq́; erat cœli gloria, nota fides.

Monicæ matris ſācti Auguſtini.

Condidit illa Deus, ſeruauit mater amico
Pectore, Sidonij gloria prima ſoli.

Cōuerſio ſācti Auguſtini.

Illa ſuum precibus natum reuocauit ad arma,
Quæ Deus à cœlo non ſine morte tulit.

Iudith hiſtoria.

Qualis in Aſſyrijs Meraris fuit hoſtibus olim,
Inter cœleſtes ſemper habenda nurus.
Illa uiri poſtquam patrio dedit oſſa ſepulchro,
Conſtituit certa relligione mori.
Induerat rigidas ueſtes, damnabat amomum
Clauſa domo, ſuperis thura merumq́; dabat.
Magnus Iudæis Holophernes bella mouebat,
Montibus & ſyluis clauſerat ille uias.
Hinc fera tempeſtas diri prænuntia belli
Sæuit, & undanteis eripit hoſtis aquas.

 Bella

Bella timet populus, bellis longe Ozius actus
  Conſulit ut bellum quinq; diebus agat.
Senſerat hoc Meraris, tinctas in Murice ueſtes
  Induit, & collo plurima gemma micat.
Egreditur portis, hoſtes petit illa, ducemq;,
  Nec timet hoſtiles fœmina ſola manus.
Vix bene tranſierat portam, uix lumine primo
  Tranſierat colles, collibus hoſtis erat.
Hanc ducis Aſſyrij ſubito tenuere phalanges,
  Quo fugis infelix? impius hoſtis ait.
Iudæos fugio dixit, quos publica cædes
  Expectat, regem conſequar ipſa meum.
Mirantur uultus hoſtes, ſubit illa penates,
  Quos ducis Aſſyrij regia magna colit.
Illa uidens regem ſublimi in ſede locatum,
  Dicitur ad terram procubuiſſe genu.
Rex ultrò dixit, nihil eſt tibi diua timendum,
  Et cauſam aduentus hic rogat, illa docet.
Diceris Aſſyrio ſolus mirandus in orbe,
  Et te nil maius rex tuus ipſe uidet.
Deniq; Iudæi quoniam peccaſſe fatentur,
  Expectant pœnas per tua bella graues.
Dira fames illos agitat, tua tela uerentur,
  Territa ſum tantis protinus ipſa malis.
Et uenio ut belli peragas certamina, dixit
  Hoc mihi cura Dei, nuntia uerba fero.
Dixerat, aſſenſuq; Holofernes cuncta probauit,
  Liberiusq; illi caſtra tenenda dedit.

Hanc



Hanc uocat ad menſas, uolitat circum ora Cupido,
  Hanc cupit, in uotis ſola puella fuit.
Pocula plena dabant famuli, plena hauſerat ille,
  Accumbit, medio ſtat grauis ille thoro.
Iuſſerat ancillæ peſtes ſeruaret, in æde
  Sola manet, gladios accipit illa ducis.
Inuaditq; tenens dextra ſimul explicat enſem,
  Abſcindit collum, colla cruenta tulit.
Et dabat ancillæ, patriam ſimul illa petebat,
  Mœnibus affigi iuſſerat inde caput.
Tollitur in cœlum uere laudanda uirago,
  Hoſtibus horrendam quòd dedit illa necem.
Nouerat has clades hoſtis, perterritus arma
  Deſerit, in prædam protinus ille uenit.
Sic fuit Aſſyrio ſeruata Bethulia bello,
  Fœminea reges ſic cecidere manu.
Sexta dies, memini, dat candida feſta Latino, Ioãnis ante portã latinam,
  Et numerat populo præmia, quanta uides.
Vltima nonarum toto claudetur Olympo,
  Et tamen interdum nuntiat illa Deos.
Victor ab æthereijs Michaëlus labitur oris, Apparitio ſancti Michaëlis,
  Thura manu geſtat, lilia culta, roſas.
Ora gerit pueri nulla flauentia barba,
  Et tamen in puero cura ſenilis adeſt.
Septima uenturis quæ dicitur eſſe Calendis,
  Orbe uacat toto, nec tibi nomen habet.
Errantes uideo nymphas, & ludere ſyluis,
  Quas omnes fuſis accipit umbra comis.



Illa

Illa Deûm turba Diuas ſupereminet omneis,
Et gaudet ſyluas & coluiſſe nemus.
Quas habet illa comas cernis, dum ludit in herbis,
Mollis adeſt, molli gramine tecta facit.
Miraris formam, nunquam, mihi crede, ſeneſcit,
Quum primum nata eſt, exerit illa caput.
Et gaudet uiridi contingere uertice cœlum,
Verna Deam ſequitur, creditur eſſe parens.
Illa Deæ uultus uirides componit in unum,
Vernaq; uernali tempore ſemper adeſt.
Explicat umbra comas, expellit Apollinis ignes,
Lætaq; lætitiam pectore ſemper habet.
Semper habet uentos, uentorum naſcitur illa
Viribus, at Zephiri gratia maior ineſt.
Ille pater primus primis ueneratur ab annis,
Hanc petit exacto quum redit orbe Dea.
Prima Deas uidit nudas, & prima ſequuta eſt,
Quum Veneri iudex aurea poma daret.
Illa recens folijs, & fronde uirentior omni,
Effugit in cœlum frigora dura timens.
Mox cum uere hylaris cœlo deſcendit ab alto,
Quum maiora petunt ſydera Solis equi.
Temperat ardores, partu lætatur & omni
Flore caput cingit, tempora, flore manus.
Occupat Æſtatem, ſed iungitur illa ſorori,
Quum uenit è uerno tempore nata Dea.
Fulget Epimachius radijs ornatus & auro, — Gordiani et Epimachi mart.
Quum redit ex omni parte ſerena dies.





Leua diem geſtat, tuta eſt pia dextera palma. — Palmæ virtus.
Illa docet uires, ſydereamq; fidem.
Illa Deo fauet, illa comes, dat uincere mortem,
Dat uires animo, dat timuiſſe nihil.
Si ſedet ante aras febri uiolata ſacerdos,
Euolat admiſſo febris iniqua pede.
Si puer à flammis caſu correptus, & igni,
Vota facit uultu, ſentit abeſſe malum.
Si tamen ingratus puer eſt, ſubit ignea flamma,
Et ſolito maior corpore peſtis ineſt.
QVÆ pia uota facis iuuenis, pia uota reſerues, — Hortatur uouere & reddere.
Surripiant flores ne tibi fata tuos.
Hoc iubet ipſe tibi Paulus uoluentibus annis, — Pauli pôt. max. laus.
Quo mare, quo tellus nil ſibi maius alit.
Temperat ille Deos, cœli partitur honores,
Ille Deos omnes in ſua iura uocat.
Tantaq; diuino ſurgit præſtantia uultu,
Impleat ut uires nominis ille ſacri.
Ille Deus ſcelerum præſentes uindicat iras,
Vtq; pium eſt, ſacras exigit ille uices.
Archilis & frater palma laudatur in una, — Nerei, Archilei, & Pâcratij mart.
Qui rubet in dextra eſt huius & huius honos.
Altior ingreditur Titan, terrasq; relinquit,
Panditur hinc toto fratribus orbe domus.
Caſtor erat, Pollux, ſimilis concordia fratres — Caſtoris & Pollucis hiſtoria:
Rexit, in imperijs alter & alter erat.
Quod fuerat Pollux, fuerat quoq; Caſtor, Athenis
Bella gerunt, Caſtor fata cruenta tulit.

Vt fuerat mitis frater, rogitaſſe tonantem
Dicitur, alterno uiuat uterq; die.
Annuit ipſe Deus, cœlo noua ſydera fecit,
Atq; octo ſtellis addidit ille decem.
Aſpicio tumulos, reſerataq́; templa Deorum,
Et iuuenis noui quanta ſit illa manus.
Illa quidem uicit, uictricia porrigit arma,
Deq́; triumphato, nil timet, hoſte, mali.
Euolat è manibus menſis, nec cedit honori,
Excipit ad ſuperos quem uidet eſſe Deum.
Vel Bonifatiũ mar̃ vel Vbaldum epm & cõfeſ. intellige.
Æſtatis tibi primus iter, tibi pandit habenas,
Quum uer diſcedet, thura merumq́; dato.
Carmine diuino circundabis omnia rura,
Quæ colit & Liber, quæ colit alma Ceres.
Sic tibi nutritæ ſurgent ad ſydera fruges,
Sic tibi uina fluent uberiore lacu.
Potentianæ virg. Sol in Gemini.
Vna tibi laudes, dominam canit una potentem,
Et ſoli Geminos pandit amica dies.
Clarior ille micat, nullas in pectore curas
Phœbus habet, nato quas moriente tulit.
Phaëtontis caſus.
Quæſierat Phaëton ueri monumenta parentis,
Quo cretus Climene ſit genitore monet.
Ille patrem uerum, tantus tenet ardor, adibat,
Et petit à uero ſigna parente puer.
Hunc pater & uultu lætoq́; amplectitur ore,
Et quæcunq; uelis, omnia dixit habe.
Dixerat & Stygias ſubito iurauerat undas,
Ille petit currus, non negat ipſe pater.

Vix bene



Vix bene ſolares currus conſcenderat, æther
Vritur, in flammas cuncta elementa ruunt.
Iuppiter arce ſua flagrantia ſydera cernit,
Non tulit, hunc ſæuo fulminis igne petit.
Indoluit mater caſum, doluere ſorores,
Et pater in tenebris funere merſus erat.
Nunc gaudet curru, cœlo nunc errat aperto,
Et Bernardino quo fauet ore uides. Bernardini confeſ.
Huius ab undanti uiuus fons naſcitur ore
Nectaris, aërio pectore mella fluunt.
Naſcitur ipſe puer claro de ſanguine, & ante
Ante diem fato eſt raptus uterq; parens.
Ducitur ad uates, legit ille uolumina ſacra,
Non tacet autoris gloria quanta ſui eſt.
Otia, luxuriam, Veneres, ludibria, luxus
Oderat, & quantum mens inimica cupit.
Oderat & magicas arteis, fallaxq́; uenenum,
Fata ſubit uitæ, dat pia ſigna Deus.
Conditur in tumulum, cineres ſeruantur, amomum
Spirant, ſydereos occupat umbra lares.
Ille mouet peſtem, lethalia uulnera curat,
Admouet & medicam plurimus ille manum.
Ille gerit dextra radios, fulgentiaq́; arma,
In quibus humanas non habet ille uices.
Tyburis Vrbanus colles & templa tuetur, Vrbani põt. max. & cõfeſſ. Tranſlatio ſancti Frãciſci.
Non habet Alcides quæ modo templa colat.
Hæc Franciſce tibi meritos dat laudis honores,
Dum fauet illa, tuum dum nouat illa iubar.

Ipſe

Ipſe mihi dicendus eris, quum meßis ab agro
  Incipiet terris exeruiſſe caput.

Luciani mart.

Lucius, extremo qui uicerat orbe Britannos,
  Occurrit, fidei debita iura dedit.
Hunc quicunq; colis, ſit cædis nulla uoluntas,
  Nec ſedeant animo triſtia furta tuo.
Theſeus infernas auſus deſcendere ad umbras
  Occidit, & uitijs dat grauiora ſuis.

Oreſtis furiæ.

Ipſe Clytemneſtræ furijs agitatus Oreſtes,
  Dum miſer in matrem bella cruenta gerit.
Cauſa mali mater, nam dum fera bella geruntur
  In Teucros, quantum dedecus illa facit?
Victus erat Priamus, bellis agitatus Atrides
  Vela dabat, patrias ipſe petebat opes.
Senſerat hoc coniunx, hoc dirus ſenſit adulter,
  In cædem regis iurat uterq; ſui.

Agamemnonis cædes.

Vix bene rex Danaum puppi deſcenderat alta,
  Concidit infandæ coniugis ante pedes.
Vt primum uires animo concepit Oreſtes,
  In matrem ultrici dirigit arma face.
Inſequitur moriens natum, ſtimulosq; nocendi
  Inuenit, & nato nocte dieq; nocet.

Piladis & Oreſtis immortalis amicitia.

Præſtitit auxilium iuueni Phoceius heros,
  Et quocunq; illi tempore fidus erat.

Ioannis pôt. max. huius nominis primi et martyris.

Quos ſua mirata eſt iuuenes, mirabitur ætas
  Poſtera, nec laudes deſeret illa ſuas.
Thuſce Rauennatum defendis ab hoſtibus urbem,
  Quum fremerent dira barbara tela manu.

Quæ



Quæ tibi uenturis numeratur quinta calendis,
  Nil habet unde ſibi ſacra legenda putes.

Felicis pôt. max. & mart. Siſinnij mart.

Felicem ſequitur Siſinnius orbe ſereno,
  Iura ſub hoc Maumes ſi modo iura dabat.
Bis ſibi diſcipulos & ſex delegerat unus,
  Nec timet æternum dißimulare Deum.
Quid ſequar illius fraudes cauſasq; malorum?
  Filia clauigeri me mouet ecce patris.

Petronillæ virg.

Quæ licet incœpti claudat mihi limina menſis,
  Vltima non cœli de regione uenit.
Finierat mea muſa comas collecta, Thaliæ
  Et plectrum & cytharam protinus ipſa dabat.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

### *LIBER SEXTVS.*

QVIS Deus, unde ignes, quæ fulminis eſſet origo,
  Quærebam medijs ex Heliconis aquis.
Vnde ſit Arctophilax, & qua regione locatus,
  Et quantum à terris diſtet uterq; polus.
Quis minuat gelidas æſtiuo tempore noctes,
  Cur ueniat duro nox quoq; longa gelu.

Mercurius dux Poëtæ in hoc libro.

Senſerat hoc Maia genitus, deſcendit Olympo,
  Et docet occultas qua ſolet arte uias.

Illius

Illius in uirga (uirgam nam ſorte gerebat)
Pax erat, & bellum, pacis amicus erat.
Dixerat, O uates, quem ſummi cura tonantis
Iuſsit in alternis condere feſta modis.
Ad te (ne timeas) ſummo demittor Olympo,
Multa tibi ut referam, quæ nouitate placent.
Accipe, quæſitas repetam tibi carmine ſortes,
Quæq́; prior cœlo cauſa reperta fuit.
Rex hominum diuûmq́; pater, qui temperat orbem,
Diſpoſuit leges, legibus atq́; uias.
Æternos igneis, & non uiolabile cœlum
Condidit, æthereum ſuſtinuitq́; iubar.
Mundi creatio.
Quattuor ille polos mira deduxit ab arte,
Addidit his ſolem, ſydera, ſigna, Deos.
Formauitq́; Helicen, & quæ Cynoſura uocatur,
Hoſpitibus nautis utraq́; uela facit.
Temperiemq́; dedit flammis, & miſcuit unà
Frigora, turbanteis iuſsit adeſſe Notos.
Ex nihilo Deus ille Deûm tibi cuncta creauit,
Quæ ſunt, quæ fuerant, quæq́; futura putas.
Illa qua fecit, terras uirtute gubernat,
Illa qua fecit, temperat aſtra manu.
Adam & Eua ĩ paradiſo collocantur.
Conſtituit pariter roſeis ut Adamus in hortis
Eſſet, & humana plus ſibi mente daret.
Euę trãſgreſſio,
Addidit & comitem, ſcelerum comes illa feſellit,
Protinus à cœlo pulſus uterq́; fuit.
Cauſa mali ſerpens Stygias demerſus ad undas,
Criminis hæc illi pœna luenda fuit.

Ille ferox



Ille ferox gaudet furto, gaudetq́; choreis,
Allicit humanum per ſua nota genus.
Dæmonij inſidiæ plurimæ.
Huic male promittit quicquid Panchaicus orbis
Educat, aut Siculi quod creat unda freti.
Ille animo infuſus Veneres, & gaudia tentat
Semper, & ut uincat, perfidus arma mouet.
Quos non ille ſua decepit perfidus arte?
Errat, & humanum territat uſq́; genus.
Interdum Crucis ille audet ſimulare trophæum,
Sæpius & uera de pietate loqui.
Conſiliũ cõtra inſidias dæmonis.
Tu tamen audaci uictor certamine frangas,
Nec patere hoſtiles, dum licet, ipſe dolos.
DVM tener eſt ramus facile incuruabitur, ultrò
Ille tibi laudes, & dabit arma tibi.
Per Crucis æternæ ſignum, metuendaq́; tela,
Effugiet patrias ad Phlegetontis aquas.
Illic ſupplicium patitur, quia primus Olympo
Fœdera turbauit reſtituenda Deo.
Abelꝰ ex Adamo.
At pater humani generis fundator Abellum
Suſtulit, ex illo ſemina noſtra uides.
Auxerat ille genus, uirtus & cognita terris
Diuinam nobis ſenſit ineſſe fidem.
Protinus illa dedit nobis cognoſcere cœlum,
Et ſubito uarijs ire per aſtra modis.
Sydera nota poli, & cœli patuere meatus,
Et quicquid clauſum continet axe polus.
Semina terrarum patuerunt, æquoris unda
Cœpit & inuentas ſuſtinuiſſe rates.

Occultæq́;

Occultæq; olim leges patuere dierum,
Et lunæ, & ſolis cognitus annus erat.
Felix ille quidem, cœlo qui proximus alto,
Diuino nobis condidit ore Deos.
Credimus hunc, terris poſtquam diſceſsit, in aſtra
Sublatum, & magni numinis eſſe loco.
Iunij mēſis origo. Dum loquor, ecce tibi menſis ſua limina pandit
Iunius, à Iuuenum qui bene nomen habet.
Cauſa fuit nobis omni uirtute tacenda,
Ne foret in faſtis illa legenda tuis.
Sic ait, & cytharam digitis percuſsit eburnis,
Deq; ſuo miras carmine prompſit opes.
Romulus inuictam bellis & legibus urbem
Condiderat, populi dux erat ille ſui.
Sæpius ille feros iuuenes ad bella uocabat,
Primus & à uicto rege trophæa tulit.
Quum bene firmatas animis in bella cohortes
Cerneret, & nulli bella timenda forent.
Accipite o iuuenes æternum nomen, & ultrò
Obtulit, his maius quod dare poſſet erat?
Iunius à ueſtro dicetur nomine menſis,
Inuicta quoniam bella tuliſtis ope.
Altera, ſi quæris, recitanda eſt cauſa, canenti
Occurrit, non eſt hac pietate minor.
Iunonem pia uota manent, Iunone marita
(Vt memorant) menſem conſtituere Dei.
Sed maiora cupis, menſis tibi prima dicantur
Marcellini. Limina, Marcello thura cremanda ferunt.

Et decus



Et decus ipſe poli Petrus, qui tertia ſignat, Petri, & Heraſmi mart.
Heraſmus magna uoce canendus erat.
Quarta dies ſine luce uenit, tamen illa probanda eſt,
Otia quod nobis ad noua ſigna facit.
Et monet imprimis operi tua cura recedat,
Quod placuit rerum poſt elementa Deo.
Ille quidem curis uacuus dat gaudia cœlo,
Et te Paule tua non ſemel arce uocat. Pauli pōt. max. laus.
Dat tibi ſceptra Deûm, diuinaq; munera reddit,
Teq; iubet populi pondera ferre tui.
Hæc dat dona libens, tamen eſt maiora daturus,
Quum te ſub leges mors feret atra ſuas.
Exige magne pater quicquid tibi cura Deorum
Contulit, & terris da tua iura libens.
Me quoq; defendas, tua ſi mihi uota fauebunt
Diues ero, & cœli te duce ſigna petam.
Audebo & forſan reſerare arcana Deorum,
Nil licet occultum credimus eſſe tibi.
Tu maris & terræ tractus, tu ſydera noſti,
Et cur diſpoſuit cuncta elementa Deus.
Sed tua quis poſſet rerum monumenta referre?
Tu ſolus de te magna referre potes.
Da mihi da uires, Lybici quia principis aræ Canonizatio S. Nicolai Tolentinenſis.
Sacrantur, meritis hæc pia dona tulit.
Legibus ille ſuis terras impleuerat omneis,
Suſtulerat medica uulnera dira manu.
Quæ ſequitur ſua iura tacet, uetat ire miniſtras
Altera, ſi memini, nec ſibi nomen habet.

G Hinc

Primi, & Feliciani mart.

Hinc tibi Primus erit, flammas amat ille recenteis,
Gaudet & à pueris uirginibusq; coli.
Expellit radios Phœbi, nocituraq; tela,
Dum uenit, & cœlo non minor ille ſuo eſt.
Dextra tenet palmam, palma felicior illa eſt,
Hoc quoq; præcurrit notus in aſtra comes.
Occupat ille Deus cœleſti ſydere mundum,
Ne cadat in curſu, ſuſtinet ille polum.

Solon Athenienſiũ legiſlator de q̃ Val. Max. multis in locis, ſed p̃cipue lib, 5, cap. 3.

Moribus ille ſuis fertur ſuperaſſe Solonem,
Cui dedit inuictum Græcia uicta decus.
Quid memorem monumenta ſenis? moresq; beatos?
Solus Palladias arte redemit opes.
Clara fuit quondam tellus Megarenſis, Athenas
Prouocat in bellis utraq; uiſa potens.
Huius opes nimias timuiſſe feruntur Athenæ,
Bella mouent, bellis utraq; læſa fuit.
Tunc ſua Theſidæ populo mandata dederunt,
In Megaram ne quis bella mouenda putet.
At pius ille ſenex patriæ non immemor artis,
Stultitiam ſimulans duxit in arma uiros.
Tantaq; maieſtas uerbis acceſſit, honosq;,
Vt ſubito inuictas uinceret hoſtis opes.
Alter adeſt cœlo, uenientem mater adorat,
Et quod miretur nil niſi numen habet.
Et manibus uinctis, uelataq; crinibus ora,
Ante Deum ſupplex talia uerba mouet.
Credimus æterno meritum te uiuere cœlo,
Sanguine cœleſtes & meruiſſe locos.

Te rogo



Te rogo ſumme pater per te, per templa Deorum,
Quæ tangit caſta fœmina uirq; manu.
Vt mihi conſerues agros, & ſemina rerum,
Quæ ſine te uires non habuere ſuas.
Non peto uti coniunx iuueniles induat annos,
Aut melius nubat filia nata mihi.

Poëtæ agell⁹ in agro Piceãonis.

Hoc peto, conſerues culti mihi ſemen agelli,
Qui patribus magno ſemper honore fuit.
Carior ille mihi, quoniam ſeruatus ab hoſte eſt,
Nec uoluit triſtis iuſſa aliena pati.
Ille mihi, dum bella fremunt, bis raptus ab hoſte eſt,
Hæredem inuenit bis tamen ille ſuum.
Bis peperit fruges, ſi te mihi præſide uiuet,
Hæc referam meritis grandia dona tuis.
Et uitis, quæ tarda mihi, quæ tarda ſeneſcit,
Non ſemel à cultu dulcia uina dabit.
Qualia purpureæ uites, Preciæq; tulerunt,
Vt ſuperi in ſacris dulcia uina bibant.
Dixerat illa, Deus ueniens dabat æthere ſignum,
Dextraq; per cœlum ſpicea ſerta dabat.
Dum uidet hæc aliquis, Cereris laudauerat arteis,
Arbore mutata quæ pia dona tulit.
Et patris illius laudes cantauerat ultrò,
Qui primus uitis munus opemq; tulit.
Per nemus & ſyluas cœli Deus aſtra petebat,
Sed tamen in luco flamma perennis erat.
Hæc mihi monſtrabat Romanæ cladis alumnos,
Et qui Romanum ſuſtinuere Iouem.

 Deuictasq;

Deuictasq́; acies in primo limine belli,
Hos inter, uidi, Craſſus uterq́; fuit.

Craſſ⁹, de quo Lucanus.

Qui male pugnantes patrio dum nomine certant,
Amiſſas Aquilas & ſua ſigna dolent.
Parthe quid exultas Romano principe cæſo?
Qui Craßi funus uindicet unus erit.

M. Ter. Varro. de quo Val. Max. multis in locis.

Tu quoq; Cannenſis Varro certaminis autor,
Soſpite quo nunquam Roma beata fuit.
Concuſſas acies Roma trepidante petebas,
Ducebasq́; tua funera facta manu.

Decij pro patria moriuntur.

Atq; utinam mentem Deciorum fata dediſſent,
Qui bene pro patria non timuere mori.
Alter uti patriam defenderet hoſtibus arcem,
Expoſuit morti ſeq́; caputq́; ſuum.
Alter uti è Decio natum genitore probaret,
Deuouit patriæ corpus & arma ſuæ.
Hos prope conſtabat Fabiæ noua gloria gentis,
Per quam ſuſtinuit Martia Roma caput.
Sed collum implicuit laqueo fortuna nocenti,
Quum Veientanas nil timuiſſet opes.
Hoſtis apud Cremeram conſederat illice denſa,
Et dederat ſtructos ad fera fata dolos.
Dixerat ille ferox, quoniam mihi uincere ferro
Non datur, aggrediar per noua tela uiros.
Dixit, & expoſuit pecudes, ueniebat ab urbe

Fabij pro patria occubuere.

Dux Fabius, gentis maximus ille fuit.
Protinus inuadit pecudes, ut forte latebant,
Hoſtes à tergo perfida bella gerunt.

Sic quamuis patria Fabij uirtute ualerent,
Vna omnes funus ſuſtinuere die.

Camilli geſta pro patria in Gallos:

Quid modo præcurram reducis tibi ſigna Camilli?
Cuius ab auſpicijs Gallia uicta fuit.
Illa potens armis Romanam uicerat urbem,
Et Capitolinas illa petebat opes.

Manlius ꝓ patria.

Manlius armato cum milite regna tenebat,
Ille dabat longas hoſtibus uſq; moras.
Iam prope Romanam Gallus conſcenderat arcem,
Iuppiter ipſe ſua deïcit arce procul.
Gallia uicta mora rapta diſcedit ab urbe,
Inſequitur raptas ipſe Camillus opes.
Ille potens animis, uirtute potentior omni,
Reſtituit populo præmia rapta ſuo.
Omnia mirabar, ſuperos tamen ille receſſus
Exoluam, dixit, quæ pia cura fuit.
Ecce tibi cantanda dies non pectine falſo,
Quæ niueo uernas eflat ab ore roſas.

Barnabæ apoſtoli.

Barnabus hanc ornat, cœlo tibi clauditur alto,
Ille animos Chriſti, temperat ille dies.
Cypria templa petit, patria ſe gaudet in aula
Viuere, diuinas exerit ille faces.

Nazarij & Celſi mart.

Dicere cura mihi eſt pueros, quos ſuſtinet axis
Signifer, & ſummi lucida flamma poli.
Sed uereor, ne forte ratem, quum linquere terras
Cœperit, in ſcopulos deferat unda maris.
Sed tamen audebo ſuperos deducere ab aſtris,
Celſius unde puer uendicat arma ſibi.

Vendicat & carmen, iam carmine ſacra canantur,
Accipe, concipias ut prius ore Deos.
Perfidus ille Nero feritate inſignis habebat
Romanas genteis, & pater urbis erat.
Ille ferox multum Romani ſanguinis hauſit,
Inq; genus Chriſti perfidus ille fuit.
Surgit in hos pueros gaudens feritate tyrannus,
Fitq; nocens, illi quid timuere necem?
Non dedit ille necem, uitam dedit ille duobus,
An neſcis? illum ſuſpice, certus eris.
Inſubrum tenet ille domos, ſimilemq; priori
Se uidet, & patriæ quam colit ipſe fauet.
At tibi terra potens regali digna corona,
Quæ regum in tumulo corpora ſancta tenes.
Dum colis ardenteis flammas, ſtatuamq; potentem,
Non erit humana uita tuenda fide.

Trinitatis ſanctiſſimæ dominica.

Ecce tibi dicendus adeſt & trinus & unus,
A te qui ſemper rite colendus erit.
Vnum numen habet, diuiſa potentia non eſt,
Quæ pater, & natus, ſpiritus illa regit.
Nec tamen huic ſoli conceſſa potentia rerum,
Tres numero, æternas ſed mouet unus opes.
Quod iubet ipſe pater, natus iubet, & ſacer ille
Spiritus, atq; unum credimus eſſe iubar.
Eſt Deus in trino uerus tibi nomine, & unus,
Emicet iſta tuo pectore uera fides.
Qui patris æterni radios ſecernit, & aufert
A nato, & flammis, impius ille Deo eſt.

Forſitan



Forſitan inquires cœli qui temperat orbem,
Filius in terras qui uenit, unde uenit,
Vnde ſibi carnem, noſtri quoq; ſanguinis ortus
Sumpſit, deq; Deo eſt cur quoq; factus homo.
Ille patris gremio deſcendens uirgine pura
Naſcitur, & ſeſe non negat eſſe Deum.
Vix puer ille Deus duo luſtra peregerat, audet
De patris æterno numine multa loqui.
Et reſerare ſacri quicquid cecinere parentes,
Quem bene formauit temperat ille polum.
Nil tacet æternum, flammas & numina monſtrat,
Edocet imprimis quæ mouet ira Deum.
Illi dat ſenſus, illum bene ſuſcitat Orco,
Et non diuinum temperat ille nihil.
Illa Dei uirtus, quæ ſe diffundit in omneis,
Seruauit minima millia quinq; dape.

Ex quinq; panibꝰ et duobꝰ piſcibus quinque mille hoĩes ſaturantur.

Ad fera mortales Deus omnes bella moueri
Senſerat, humanas induit ille uias.
Vt nos ſeruaret, quos noctis merſerat umbris
Dis pater, hæc illi maxima cura fuit.
Hæc tibi luce omni magis eſt decoranda, Sybilla
Quam docuit, ueterum nec tacet alma fides.
Eſaias dixit, dixit Malachius, Eſdras,
Dauidq;, & Solomon natus hic, ille pater.
Huius habes templum ſurgens de marmore puro,
Quod tibi Dedaleæ compoſuere manus.
Dextera pars radios Moſis, pars altera fratrem
Indicat, hic leges condidit, ille Deos.


An mare

An mare diuiſum neſcis? uirgaq́; potenti
Iudæum medias iſſe per agmen aquas?
Illud pontus erat magna grauitate canendum,
Par humeris poſſet ſi tamen eſſe tuis.
Sacra placent, & ſacra probas, age ſacra canantur,
Impleat ut parteis Iunius ipſe ſuas.
Tu mihi dinumeres, numeros implebimus omneis,
Et quem præteream, uix Deus unus erit.
Glorioſiſſimi corporis Chriſti dies feſta.
Alma dies Chriſti renouat miracula, terris
Oſtendit magni funeris illa rogum,
Et decus, & ueros imitatur mortis honores,
Æternis uitæ nec caret illa bonis.
Hæc ſcelus indignum, & ſi quid crudelius uſquam
Eſſe poteſt, terris omnibus illa canit.
Vera loquar, nec erunt qui me finxiſſe loquantur,
Mater erat, matris nec bene nomen habet.
Nulla fuit pietas illi, nec iuris imago,
Funereas terris prætulit illa faces.
Auſa fuit pueros dura uiolare ſecuri,
Proh ſcelus, & menſis apposuiſſe dapes.
Scilicet ipſe dies potuit contrarius ire,
Perblanda regeret ni Deus ipſe manu.
Prodita damnatur ſceleris delenda poteſtas,
Verberat immiti Dis pater ipſe manu.
Scilicet ipſe Deus cuius monumenta redibant,
Non potuit terris tam fera damna pati.
Prodidit illa Deus, Deus eſt quem cernis adeſſe,
Ille quidem minimo conditur ille cibo.

Ho



Hoc genus inſtituit menſa, quum forte uideret
Prædictum cœlo mortis adeſſe diem.
Diſcipulis dabat ille dapes, & gaudia uitæ,
Quæ paucis longa uix patuere die.
Ille cibus, fateor, dominum complectitur orbis,
Continet & magni numinis ille iubar.
Tanta Dei uirtus minimo comprenditur uſu,
Exiguoq́; cibo conditur ipſe Deus.
Forſitan inquires cauſam, tibi cauſa patebit,
Et ſubito fiet clarior unda tibi.
Concipit omne Deus, terras, cœliq́; meatus,
Diuinas terris exigit ille uices.
Colligit ille manu quantum Deus ipſe creauit,
Inq́; omneis partes funditur ipſe Deus.
Et tamen eſt idem, nec ſe uirtutis egentem
Conſpicit, & Phœbo clarius ille micat.
Vtq́; oriens Titan radios diffundit in omneis,
Sic Deus immenſum fundit ab ore iubar.
Et quem non tellus, non cœli amplectitur aula,
Exiguo condi creditur ipſe loco.
Credimus, hæc fidei noſtræ monumenta feruntur,
Credimus, æternum nil ſine lege facit.
Cognita lex uni eſt, nobis incognita, ſed nos
Credimus, hæc pietas omnia nota facit.
Credite uictorem populi, qui regna tenetis
Indica, qui Pharias incoluiſtis aquas.
Credite uictorem Perſæ, uos credite Parthi,
Hic Deus & magno eſt de genitore ſatus.

G 5 Ille po-

*Ille poteſt ueſtros regnis expellere reges,*
*Ille poteſt regni reſtituiſſe locum.*
*Ille poteſt uobis cœli reſerare cacumen,*
*Ditis & infernis eripuiſſe locis.*
*Nulla fides illo maior, nec ditior ulla eſt,*
*Quid facis? excipias hoc pietatis opus.*

Cyrini, Baſilij, Naboris, & Nazarij mart.

*Huc Cyrine ueni, tibi lux, tibi panditur orbis,*
*Quem clauſum nuper uidimus eſſe polo.*
*Hic quoq; Baſilides nimium lætatur, & ultrò*
*Quod tendas primo limine pandit iter.*
*Idibus (ut fas eſt) quæ maxima gloria reſtat,*
*Quærebam numen, numinis aura fuit.*
*Tu mihi, cui uirga lites & bella mouere*
*Cura fuit, dicas, eſt tibi nota dies.*

Antonij confeſſoris ordin. minorũ.

*Ille tibi cantandus adeſt, qui iura Deorum*
*Seruauit, tanto munere dignus erat.*
*Eſt locus, Heſperiam quondam dixere priores,*
*Non procul occiduo cernitur illa iugo.*
*Illa uidet ſtellas pelago, ſolemq; cadentem,*
*Hîc florem aërijs terra creauit aquis.*
*Hîc Deus æternum florem produxit ab alto,*

Antonius Fernãdus a parentibus prius dictus.

*Fernandum infantem dixit uterq; parens.*
*Ille manu felix ſuperûm nutritus & aura*
*Luſtrauit ramis ſolis utrunq; diem.*
*Iam procul à terris ſuperas tendebat in auras,*
*Cœpit ſacratas ferre Dialis opes.*
*Credibile eſt illum damnaſſe libidinis uſus,*
*Et nihil in uita conſuluiſſe mali.*

Plura



*Plura mihi occurrunt, quanto flagrauerit igne*
*In ſuperos, uitæ qualia dona tulit.*
*Et quod ad Aſiſij patris monumenta uenire*
*Maluit, ut cœlo dignior ille foret.*
*Hunc bene non noti cœli ſecreta notantem*
*Audijt unda maris, ſenſit uterq; polus.*
*His donis magnos peperit ſibi laudis honores*
*Victor, cum ſummo nectar amatq; Deo.*
*At tu læta dies ſignata prioribus annis,*
*Orta ſerenanti tempore funde roſas.*
*Thura crema, nullæ ueniant in limine diræ,*
*Nullaq; tempeſtas ſit nocitura tibi.*
*Tyſiphonen procul expellas, iramq; ſororum,*
*Et quicquid Stygium terra timere poteſt.*
*Eſſe quid hoc dicam? quod feruent compita flammis,*
*Templaq; directis increpuere focis.*
*Neſcius errabam, ſoluit Deus omnia nobis,*

Viti, Modeſti, atq; Creſcentię mart.

*Et Viti ſacrum dixit utrunq; diem.*
*Tunc quoq; de geminis, quos cœli amplectitur ara,*

Sol in Cancro.

*Delius in Cancro temperat orbis opes.*
*Palladis inde micat genius, colleſq; per altos*
*Errat, & humanæ plus ſibi mentis habet.*

Marci, & Marcelliani mart.

*Sed Marcus palma decoratus & Ægide maior*
*Hanc fugat, & primum certat habere locum.*
*Nec ſolus tantos credi ſibi poſcit honores,*
*Dat comiti quicquid muneris ille capit.*

Himerij epĩ & cõfeſſoris.

*Non ego tranſierim laudes & nomen Himeri,*
*Ille Cremonenſis fida columna laris.*

Maximus

Maximus ille urbes & peſte tuetur, & igne,
Proq; ſua in primis excubat ille domo.
Senſit uterq; orbis terrarum peſtis iniquæ
Fulmina, ſola fuit tuta Cremona malo.
Geruaſii, et Protaſii mart. Occupat hos aditus Geruaſius, alter & undas
Sanguinis effuſo fundit ab uſq; ſinu.
Accipe diuinas uoces, & carminis auram,
Meonium ſuperat carmen uterq; Deus.
Et maiora canunt, ſi uis conferre canendo,
Quam Priami funus, quàm Diomedis equos.
Cuius apud Troiam ſpectata eſt dextera, quando
Fatales Rhœſi nocte recepit equos.
Quo properas Aurora? polo cur ſydera pellis?
Longior, ut ſit nox, tardior ipſa ueni.
Nondum quadriugos currus ſibi iungit Apollo,
Et uaga nocturnum Delia currit iter.
Hoc ſcio, cur properas? lux hæc tibi magna uidetur
Quam canis, ante meos nec ſinis ire pedes.
Hæc mihi cura data eſt, cumules altaria donis,
Illa canenda mihi quæ noua feſta uides.
Vix ea Mercurius, ſuperos numerauerat illa,
Et de cœleſti ſede uocabat auos.
Sylucrij pōt. max. & mart. Accipe Syluerium memini cantaſſe Diales,
Exta gerit templis non leuiore manu.
Prima dies decimum quæ bis ſe ponit in orbem,
Nil agit, officio nec tamen illa uacat.
Paſtor ab orbe ſuo Cereris deſcendit in agmen,
Et natos omneis ad ſua dona uocat.

Et ma=



Et matura legit ſicco de rure colonus
Munera, quæ nobis obtulit alma Ceres.
Alma Ceres duro terras ſulcauit aratro,
Et dedit inuentis frugibus illa dapes.
Viuebant miſeri mortales gramine, & herba,
Et fuerat dulcis glans modo nata cibus.
Felices illi, quos non uexauit arandi
Cura, ſed ex herbis uita parata fuit.
Non illos curæ nec amor ſuperauit habendi,
Non Venus, aut uinum, nec nociturus amor.
Hos Deus erranteis uidit, ſed more ferarum,
Damnari potuit tam rudis artis opus.
Ille dedit leges, omnes collegit in unum,
Mite ſed ingenium per fera bella uenit.
Terrarum totus ſubito ſe diuidit orbis, Diuerſa hominum genera.
Hic amat, ad Pharias nauigat alter opes.
Alter in Aſſyriam, nec adhuc bene nouerat orbem,
Quærit opes, per quas nec fera fata timet.
CREVIT amor ſcelerū, ſed amor male creuit habēdi,
Iam nihil, intactum quod rear, eſſe poteſt.
Tu tamen alma Ceres ſæclo laudanda nepotum,
Terrarum cultus quòd patuere tibi.
Terra tibi patuit, patuit tibi iuris imago,
Per quam, ſi ſcelus eſt, in fera fata ruit.
Vos maris & terræ domini ſeruate precamur
Numina Iuſtitiæ, quos habet illa Deos.
Dura Thyeſtææ contemnite fercula menſæ,
Nec placeat uobis quod Philomela facit.

Medeam,

Medeam, ſi qua eſt, regnis expellite ueſtris,
Illa ſuum fratrem perdidit, illa domum.
Vlta uiri facinus, natosq; domumq; cremauit,
Sola fugit tantum uecta dracone nefas.
Miraris, uideo, quare non prima ſequamur
Limina, nec cantu ſit mihi primus honos.
NON homini ſemper mens una, aut floribus idem
Eſt color, aut ſpatium temperat annus idem.
NEC facies una eſt menſis, nec temporis ætas,
Nec cytharæ ſemper carmina ſenſus amat.
ILLA quidem longa cantandi uoce laborem
Sentit, & extremum laſſa requirit iter.
Parce Chelis, tibi finis adeſt damnare labores,
Hæc fuit in primis rite canenda dies,
Paulini epi & cõfeſſo.
Illa dies inquam naſcens, quam ſentit Eous,
Paule mihi tantum da precor ipſe diem.
Nunc precor à cœlo uenias, qua mente precamur,
Et procul expellas, ſi qua timenda uides.
Vos quoque ſolennes lauri mihi ducite pompas,
Et mihi non una nectite fronde comas.
Impius Herodes Iudææ ſceptra tenebat,
Quum ſubijt ſacras Heliſabetta faces.
Zacharias thalamis hanc iunxerat, huius imago
Semper erat cantu facta referre Deûm.
Et dum forte parat feſtis pia thura diebus,
Nuntius è cœlo conſtitit ante ſenem.
Extimuit ſenior, uerbis Deus ipſe timorem
Lenijt, arcanis ſenſibus ille uacat.

Sic ait



Angelus nuntiat Zachariæ natalem Ioãnis.

Sic ait, æterno placuerunt uota tonanti,
Et pariet flores Heliſabetta tuos.
Ecce tibi pariet natum, qui miſſus Olympo,
Numinis æterni nuntiet omne iubar.
Vox rata fit, parit hæc uatem, qui ſydere ab alto
Venturum in terras dixerat eſſe Deum.
Iam pater exulta, qui iam pater, omnibus aris
Thura feras ſuperis, qua pietate uales.
Collige quodcunque eſt, quod parturit Indica tellus,
Quod Tempe, non eſt hæc ſine thure dies.
Æthereos laudes ſenſus uenerande ſacerdos,
Et terræ fructus, & maris omne ſolum.
Texuit Europe formoſo læta iuuenco
Florenteis uiolas, texuit illa roſas.
Creditur & multo poſtes uariaſſe colore
Penelope, quando ſenſit adeſſe uirum.
Creditur & uictor ſuperatis Liber ab Indis
Dum redit, optatas inſtituiſſe dapes.
Vos quoque mortales ſic imperat alma poteſtas,
Dicite natali uita ſecunda ſuo.
Natalis Ioannis.
Iungite fœdatas ciuili ſanguine dextras,
Erret & in ueſtra pax opulenta domo.
Vidimus extintas urbes, populosq; potentes,
Inq; faces regum uidimus eſſe domos.
Ille ferus nimium, duroq; adamante creatus,
Qui primus populis tam fera bella tulit.
Perdidit ille duces ſeptem, Thebasq; potenteis,
Actæasq; acies, dardaniasq; manus.

Tu ſi

Tu ſi bella uides, cœleſti clarus in aula,
Dimoueas, pacis qui noua ſigna tenes.
Tu dux, tu rerum dominus, tu bella fugaſti
Perfida, tu Teucri, qui potes, arma moue.
Poëta deplorat vrbes captas a Turcis.
Ille Rhodum nuper claram terraq; mariq;
Suſtulit, & Latio ferrea uincla parat.
An patiere genus Chriſti tam dira uidere
Supplicia? & uictos indoluiſſe duces?
Suſtulit ille Rhodum claram, paruamq; Methonen,
Bizantumq; amplam, Dalmaticosq; ſinus.
Suſtulit Eubœos portus, fremit ille per urbes
Antiquæ Heſperiæ, quod minitetur habet.
Apoſtrophe ad pōt. max.
Et niſi ſuccurris Romanæ conditor urbis,
Captiuos Chriſti uideris eſſe duces.
Vox ſit falſa quidem, terris ferus ille recedat,
Et non æternum ſe putet eſſe diu.
Apoſtrophe poëtę ad mortē.
Tu quoq; Mors properata ueni, tu perdere Teucrū
Sola potes, lapſis ferreq; rebus opem.
Tomyris ardentem Cyrum regina peremit
Vlta ſuos, & tu quàm dare læta potes?
Ipſa ſuum populum Meraris patriamq; redemit,
Impoſuit bellis rapta Sabina modum.
Tu quoq;, ſi fas eſt, Teucrum fera bella mouentem
Sterne tuis manibus, concidet ille ferox.
Effice, dum pugnat, caſu moriatur iniquo,
Sin aliter nobis pœna timenda uenit.
Vel ſi bella tamen cupit, ut producat in hoſtem,
Concurrat, duras ſentiet eſſe manus.

Et nos



Et nos bella iuuant, & nos defendimus armis
Imperiū olim Romanum.
Mœnia, & hoſtili ſanguine tela rubent.
Nos olim totum ſub leges miſimus orbem,
Aſſyrios, Medos, Perſica regna, Arabas,
Illyricos, Cretam, Mauros, Lybiamq; rebellem,
Et quicquid noſtrum uendicat ille ſibi.
Hanibal ille ferox, Lybia mœrente, uenenum
Hanibal venenum hauſit.
Hauſit, & in cineres urbs inimica ruit.
Dum loquitur Maia genitus, florere coronam
Aſpexi, & cytharam uocis habere ſonum.
Senſerat illa Deus, felix bene nouerat omen,
Et ſubito uinces Itala terra canit.
Perfidus ille tibi cedet, niſi fallor, ad urbem
Victrici referes bellica ſigna manu.
Dic quæcunque Deus ſummo meditetur olympo,
Si fas, an terris flumina dira paret?
An cupiat ſæuis terras abſumere flammis?
Talia mandabam, ſoluerat ora Deus.
Sim licet æterni legatus numinis, unum
Quod dedit inuictum lingua diſerta mihi:
Non tamen hoc cœlo licuit cognoſcere nobis,
OMNIBVS Æterni non patet ara Dei.
Sed tamen hoc dicam, quantum mihi noſcere fas eſt:
Forſitan & uero res erit apta loco.
Humano generi parat undas rector olympi,
Non tamen humanum perdat ut ille genus.
Sed Dei ut agnoſcat ſit quanta potentia tellus,
Quæ ueneres omneis, quæ facit omne nefas.

H Cogitat

Cogitat ille Deus quicquid delere nefandum
Pullulat, atque humileis inſtituiſſe locos.
Plura mihi occurrunt, ſed ne tua gloria ceſſet,
Percurram extremus quod tibi menſis habet.
Ioannis & Pauli mart.
En tibi Paulus adeſt, illa quoque parte uidetur
Fidus Ioannes, uictor uterque polo eſt.
Solſtitiũ Æſtiuum
His tibi Solſtitium ſurget, lætetur arator,
Maturas ſegetes iam prope falce metet,
Leonis põt. max. & confe.
Hinc Leo conſurgit, Siculis qui uenit ab oris,
Cinxerat albenti tempus utrunque coma.
Petri & Pauli apoſtolorũ
Petrus adeſt, cuius mores & ſecula uitæ
Amiſſum nobis reſtituere decus,
Quem ſequitur Paulus uenientem paſsibus æquis,
Vni quod dederis munus, uterque feret,
Non ego conſpiciam tantas in pectore laudes
Feſſa chelis, potuit uix tibi pauca loqui.
Dixerat, & cœlum cythara reſonante petebat,
Septimus ante fores menſis & annus erat.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

### *LIBER SEPTIMVS.*

Beata virgo dux Poëtæ in hoc lib.
NVNC Age uirgo potens, mundi clariſsima lampas,
Qua micat exoriẽs, occiduusq; dies,
Aſpice nos, huc tende aciem, mea uela reponas,
Quæ ſine te portus nõ habuere ſuos.

Tu Dea,



Tu Dea, tu uirgo mundum renouare cadentem
Sola potes, ſoli cuncta elementa patent.
Tu uentos, fluctusq; maris componere uirgo
Sola potes, tanta eſt gloria, tanta fides.
Per te noſtra ſalus, mundo labente, reperta eſt,
Per te quæ nata eſt, non moritura fides.
Illa quidem toto terrarum clauditur orbe, Viſitatio virginis.
Nec timet hoſtiles non uiolenta manus.
Hanc precor, hanc iubeas cœlo deſcendere uirgo,
Ecce illi ex auro quæ tibi templa damus.
Hîc ego te ſtatuam, primaq; in ſede locabo,
Hic referam uultus, quos tibi uita dedit.
Hîc eris & uirgo, materq; amplexa tonantem,
Aurea cum puero tota futura mihi es.
Ante fores laurus, & uirginitatis honores,
Floſculus & uitæ, ſydereusq; decor.
Et nunquam uiolatus amor, pudibundaq; mentis
Lilia, qua uirgo es, qua dea facta parens.
Hîc lunæ ingenti currus fabricabor honore,
Et tecum cœlo ſydera lapſa traham.
Ad te confugiet tardo Saturnus ab ortu
Viuus, & in uiuo marmore ſurget opus.
Tecum Mercurius, tecum lætabitur ultrò
Iuppiter, ex auro ſiue adamante Deus.
Ipſe tibi Titan cœlum purgabit apertum,
Æqua tibi nox eſt, æqua futura dies.
Te pater omnipotens nato comitatus Olimpi
Reginam ſtatuet non renuente polo,

Seq́; tibi totum totus ſe fundet in unam,
Et quantum æthereis ignibus ille dedit.
Spiritus ille ſacer diuinum efflabit honorem,
Teq́; per æthereas ducet in aſtra domos.

Pauli pōt. max. laus.

In medio Paulus gemmis ſpectandus & oſtro,
Prætendet dextra quæ tibi templa dedit.
Ille tibi uirgo meritos ſacrabit honores,
Quanta tibi eſt terris, gloria quanta polo.
Suſcipies illum, nec dedignabere uirgo,
Humano generi conciliare Deum.
Illum progenies cœlo delapſa ſequetur,
Templa tibi uirgo, templa datura Deo.
Illa quidem facili plenoq́; uidebitur arcu
Scandere cœleſtes, uenerat unde, domos.
Dextera uenturos in cœli ſigna nepotes
Eriget, his omni parte ſerena dies.
Quiſq; ſuum tibi uirgo potens cantabit honorem,
Vt bene nata deïs, & genitura Deum,
Vt tu ſola premis contagia prima parentum,
Vt tu ſola Deo digna reperta parens,
Vt te de cœlo uenientem exhorruit ingens
Cerberus, in Stygias quem Deus egit aquas,
Vtq; petis cœlum radijs flammata uel auro,
Vt duce te tellus nil moritura timet,
Vtq́; tibi aſſurgit cœli chorus omnis, & auræ,
Vtq́; tuo imperium temperat igne Deus.
Per te, per natum uirgo, ſanctiſſima uirgo,
Per quicquid uirgo credimus eſſe tuum,





Obſecrat poëta virginem faſtorū abſolutionē.

Oramus, te uota parens, ne deſpice uirgo,
Impleat ut parteis pagina noſtra ſuas.
Id tamen in primis tota mihi mente rogandum eſt,
Vt quod agit Paulus te duce ſemper agat.

Paulo pōt. max. fauorem, poëta a vĝine petit

Iam pridem Auguſtos animo meditatur honores,
Proq́; ſuo indicit bella cruenta Deo.
Noui animos, quantosq́; habeat uirtutis honores,
Impleuit meritis quos tamen ille ſuis.
Aſpice quàm mitis dextra mihi porrigit annos,
Et quos antiquis addidit ille dies.

Iulius mēſis vii.

Ille mihi celebres cantat de more calendas,
Nec cadit ad laudes uirgo ſerena tuas.
Hic tamen aëria primum deſcribit in arce,
Iulius unde ſibi nomina menſis habet.
Et breuiter, miro tamen ordine, cantat Iulum,
Ignibus ereptum Dardana terra tuis.
Hinc ſubito reges, unà cum fratre Quirinum,
Quiq́; auxit patrias Iulius alter opes.
Qui quum ſydereo poſuiſſet in ordine menſes,
Hunc uoluit meritis nominibusq́; dari.
Sed iam tempus adeſt uentis felicibus ire,
Dum fera tempeſtas, dum ſilet unda maris.

Pauli pōt. max. laus. Proceſſi & Martinianimar

Spero equidem, nec uana fides, dum ſydera Paulus
Temperat, & terras, non ſine luce mori.
Solue ratem Paule, Proceſſius orbe mouetur,
Cuius ab effuſo ſanguine terra rubet.
Omnia nulla time, quamuis tibi dura uidentur,
Nulla tibi peſtis, nulla timenda lues.

Auertent crudele nefas pia fata Deorum,
Terruerint quamuis ſomnia uera duces.

Aſtiages de quo Iuſtinus lib. primo.

Aſtiages Medos & regna tenebat auorum,
Huic primis thalamis filia nata fuit.

Ecbaſis poëtæ de ſomnijs.

Forte uidet ſomnum, de natæ corpore uitis
Naſcitur, & ramis ſydera ſumma petit.

Somnium mr̄is Cyri.

Conſulit hic uates, cecinerunt omine uates,
Auferri imperium rex tibi magne tuum.
Nupta parit natum, falſa pietate iubebat
Hunc auus occidi, ſed datur ille feris.
Ingemit, unde tamen pietas humana petenda eſt?
Mota canis lacrymis ubera plena dedit.
Motus erat paſtor, tanta pietate recepit,
Inq; ſuam ſubito detulit ille caſam.
Illa forte die mulier paſtoris in auras
Ediderat puerum, cui nocet ipſe parens,
Et iubet exponi natum pro rege, Deorum
Munere ſeruatus Cyrus ad arma uenit.
Bella cruenta mouet, puerum fortuna ſequuta eſt,
Vt pro fatali lege timendus erat.

Pharaonis ſomnium.

Et Pharao ſeptem ſpicas in cortice pingues,
Et tenues totidem uiderat ille boues.

Ioſephi ſomniorū interpretatio.

Septima Ioſephus felix prædixerat æſtas
Rex erit, at ſterilis ſeptimus annus erit.
Dicta probat, ſteriles fœcundus temperat annos,
Et pia Ioſepho cura relicta fuit.

Ioſephus vendit̃ a fratribus

Ille puer, qui ſolus erat ſpes magna parentum,
Venditur infelix fratribus ipſe ſuis.

Scilicet



Scilicet inuidiæ rabies agitauerat illos,
Dum puer ipſe patri carior unus erat.
Somnia uera puer noctis conceperat hora,
In quibus & princeps ille futurus erat.
Nec maior rabies, in fratris fata ruebant,
Detinuit fratrum ſed Deus ipſe manum.
Vendidit hunc numeroſa cohors, ut furta laterent,
Abſciſſum ſimulat dentibus eſſe feræ.
Viderat ipſe pater maculatas ſanguine ueſtes,
Credidit abſumptum, tam fera fata dolet.
Vt puer ingenio fuerat præclarus, in altum
Tollitur, & regis temperat unus opes.
Atra dies aderat, fratres cognouit adeſſe,
Quos Cereris clemens ille leuauit ope.
Iuſſerat ut genitor pueris comitatus adiret,
Expleuit nati tam pia iuſſa pater.
Conuocat inde omnes, & ſeſe prodidit illis,
Credebant fato quem cecidiſſe graui.
Credibile eſt fratres facto doluiſſe nefando,
Et patris arentes immaduiſſe genas.
Iam ſatis o muſæ luſiſtis Apolline dextro,
Nunc uenit in faſtis lux numeranda meis.

Sanctoꝝ ſeptē fratrū mart. Felicitas hortat̃ filios ad ſuppliciū ꝓ Chriſto.

Illa pios fratres, ſeptemq; amplectitur aras,
Quas omnes natis erigit alma parens.
Illa fidem natos mulier docet, unde petenda eſt,
Illa docet uulnus fortiter omne pati.
Non ſic armatum Spartana accendit in hoſtem,
Quum clypeum nato dat furibunda ſuo.

 Alma

Alma parens, uere nullis indigna priorum,
Qualis apud Troiam Penthesilea fuit.
Exere felices, quanta eſt uictoria, luctus,
Et ſubeat noſtras hæc tua flamma domos.
Poeta deprecatur Barbarorum bella ab Italia. Hæc tua Barbaricos extinguat flamma furores,
Ne cadat in tantis Dardana terra malis.
Ticinum infelix patitur crudelia bella,
Et patitur duros alma Cremona gradus.
Ardet uterque polus, bellis concurrit in alpes
Et Tagus, & Rhenus, fortis uterque micat.
Quæ finis belli tandem, quo funere tandem
Amiſſæ populis reſtituuntur opes.
Quo feror? exiguæ nobis in prælia uires,
Forſitan & ueteres dum memorantur aui.
Pij Pōt. Max. & mart. Vnus adeſt, Pius unus adeſt, qui pondera rerum
Suſtinet, huic uni cura relicta Deûm.
Naboris & Felicis mart. Nauigat in portu, ſecura nauigat aura,
Nec ſe, nec caſum funeris ille dolet.
Hic ſibi ſydereos cœli partitur honores,
Naboris & ſummo temperat orbe diem.
Temperat & terris ubi plurimus eſſe ſolebat,
Felicemq; ſuo cantat in igne mori.
Et ſecum triſtes uitæ reminiſcitur annos,
Quæq; timent alij non Pius illa timet.
Chryſippus de quo Val. Max. lib. 8. cap. 7. Zeno de q̃ idẽ Val Max. lib. 3. cap. 3. Hic tã gratus honos, quàm lex, quàm pondera legũ
Quæ nunquam cultu diſplicuere ſuo.
Quàm lis iuncta foro, quàm ſi Cryſippus ad arma
Zenonem inuictum prouocet ante Deos.





Quum dolor ablata miſeri Pandionis ingens
Virgine, & inſani Tereos umbra nocens.
Siue agites ruri, ſeu ſint deducta per urbeis,
Illa magis ruri commodiora placent.
Quis uetat huc nymphas, quãuis leuiora canamus,
Ducere, & in ſyluis ſæpe uidere Deos.
Hîc ſecura quies, labor hîc fœcundus, ad ora
Dum canimus, Panes, & iacuere feræ.
Hîc ætas omnis, ſpatium mihi cernitur omne,
Vitaq; nec flammas, nec fera bella timens.
Poßideat tabulas argenti Crœſus & auri,
Gaudeat & rebus Craſſus uterque ſuis.
Hîc mihi ſummus honos, hîc uitæ commoda mille,
Hîc mihi de uiuo fonte camœna uenit.
Illa mihi quodcunque placet canit, illa beatas
Et componit opes, ſed meliore gradu.
Hæc mihi Calliopen primis cantauit in annis,
Formaret tacita dum mihi mente dies.
Carminis illa comes, noſtri comes illa laboris,
Pluraq; quam credas carmina mente mouet.
Illa mihi interdum laudes, & fortia cantat
Nomina, & Heroes in mea iura uocat.
Sic age muſa precor, dum nil mortale relinquas,
Hæc nunquam ſtudijs uota fuere meïs.
Et ſi muſa libet Veſtali flamine cincta,
Dinumeres menſis quos habet ipſe dies.
Tecum ſydereos felix Anacletus honores
Diuidet, hæc illi maxima cura fuit. Anacleti pōt. max. & mart.

Dies caniculares,

*Dum tamen ipſa canis ſæuit, requieſce ſub umbra,*
*Plus ſolito noceant nec tibi ſolis equi.*
*Iunge puer cyatos, ſi qua eſt tibi cura tuorum,*
*Hic calor, hic cantus uina Falerna petit.*
*Ne tamen amittas uenturæ præmia laudis,*
*Herculeos iungas in ſua tela duces.*
*Quiq; prior currat, meta qui feruet in ipſa,*
*An minor Æacidæ Troius Hector erat.*
*Qualis Atalante in curſu, quas uicta per artes,*
*Quantaq; Penelope, qua ſua nota fides.*
*Dum tibi Romani mores, & ſecula morum*
*Præſcribant quantum mens tua rite canat.*
*Si loca deficiunt ueterum priuata colore,*
*Ad quæ confugias numina doctus habes.*
*Mille tibi claros numerabit Roma nepotes,*
*Quos ætas cœlo noſtra repente tulit.*
*Scilicet & nobis cura eſt æquare Deorum*
*Sydera, quæ nobis nec negat ipſe Deus.*
*An potuit uirgo ſolo defenſa pudore,*
*Ignibus extinctis uela cremanda dare?*
*An potuit Cybeles, mota de ſede carina,*
*Claudia Romanas conciliare nurus?*
*An licuit Moſi, diuiſis fluctibus, hoſtem*
*Perdere, & ad legum iura uocare ſuos?*
*Et iubar, & radios ſummi ſpectare tonantis?*
*Hæc quoque non nobis ſecula noſtra negant.*
*Sunt quos ſyderei mores ad ſydera tollant,*
*Vita licet nondum funere rapta ſuo eſt.*

Æmilia virgo ſacerdos veſtalis de qua Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Claudia Romana de q̃ Val. Max, lib. 1, ca. 6. de miraculis Moſis p̃ quibus Ægyptij ſummergũtur in mari Rubro, vt habet Exodi cap. 14.

*Sunt*



*Sunt quoque qui ualeant uentos & ſiſtere fluctus,*
*Sunt quos, tanta fides, noxia flamma iuuat.*
*Credimus Abdenagum medios cantaſſe per ignes,*
*Et ſocijs ſæuas nil nocuiſſe faces.*
*Senſimus & uatum linguas, uerosq; poëtas*
*Audimus, quantum ſecula noſtra ferunt.*
*Sunt qui prædicant clades aduerſaq; fata,*
*Et ſubitos ignes, horrida bella, famem,*
*Extremosq; dies, & uitæ ſecula, & horas,*
*Iratiq; Dei numen, & arma canunt.*
*Se Deus ille Deûm genitor, ſe fundit in alta*
*Pectora, mortales non agit ille uias.*
*Ille docet noſtra cœlum uirtute mereri,*
*Deq; ſua Stygium ſede mouere Iouem.*
*Et ſanare animas, medicamq; adhibere ſalutem,*
*Accelerent Stygias ne Phlegetontis aquas.*
*Ille docet uerbo, fidei præſentia tanta eſt,*
*Nos uerum in minimo condere pane Deum.*
*Ille docet uerbo, manes exire nocentes*
*Pectore, ne nobis ſæuiat umbra nocens.*
*Vincimus in uerbo Magicen, fallaxq; uenenum,*
*Vincimus & gladios, uerbera, tela, necem.*
*Vincimus & ſcelerum furias, herbasq; nocentes,*
*Et quodcunque mali mens inimica cupit.*
*Sunt quoque qui linguæ nodos, & uincula ſoluant,*
*Sunt quoq; qui renouent mortua membra uirûm.*
*Illa manus felix medicas ſibi uendicat artes,*
*In noua ſæpe homines ſecula morte uocat.*

Sidrach; Miſach; & Abdenago ĩ fornace ignis ſicut habemus Danielis ca. 3.

*Illa*

*Illa ſuum regem, regiſq; imitatur honores,*
*Qui, quæ cuncta uides, non ſine morte creat.*
*Non tantum humano generi dedit ille Prometheus,*
*Auſus ab exemplo ducere membra uirûm.*
*Si uero ad leges uenias, uirtutis abunde eſt,*
*Funditur effuſo pectoris illa ſinu.*
*Has locus omnis habet, reſonant tota atria leges,*
*Et ſe ſeruari tempus in omne iubent.*
*Lætatur Deus Aſtrea cum uirgine, & unà*
*Cogitat humanas quo tueatur opes.*

Pauli pōt. max. laus.

*Sed Pauli tamen omnis honos, ac omnia iura,*
*Ille bonis placidus, non pius ille malis.*
*Felix Roma tibi es ueterum domus alma Deorum,*
*Sed non ſub magno Cæſare talis eras.*
*Huius ab auſpicijs rident elementa, uidemus,*
*Numine ſub cuius ſydera cuncta micant.*
*Suſtinet ille polum, nec terras deſerit ille,*
*Illius in dextra cuncta elementa iacent.*
*Viue hîc Paule diu, licet ad maiora uoceris,*
*Nam tua uita Dei eſt officioſa gregi.*
*Vis quoque cœleſtum uoces audire loquentes,*
*Et quantum laudis lingua diſerta tulit.*
*Hic bene proponit, ueterum non immemor artis,*
*Quid Deus, unde animas, unde elementa creat.*
*Pythagoramq; omnem lingua percurrit, & arte,*
*Et confundit opes, quas prius ille dabat.*
*Socraticosq; omnes primum deducit in orbem,*
*Et nihil admittit ſtulte Epicure tuum.*

Vincit



*Vincit Anaxagoras, & qui ſenſere Platonem,*
*Stoica nec longo tempore cura uiget.*
*Si natura tamen palmam ſibi uendicat, inquit*
*Maior Ariſtoteles omnibus ipſe fuit.*
*Ille quidem potuit rerum cognoſcere cauſam,*
*Si poterat terris altius ire caput.*
*Ars diuina patet, quantum ſenſere priores,*
*Non negat, à terris altius illa uolat.*
*Quis potuit Pauli numeros, & uincere linguam?*
*Quis potuit Lybici uincere dicta ſenis?*
*Nonne tibi hac cura cœlum tibi panditur omne?*
*Nonne uides quantum cogitat ipſe Deus?*
*Mille tibi poſſem diuinos promere uates,*
*Mille tibi uera ducere ab arte Deos.*
*Aſpice fœcondas, ſed in uno pectore, linguas,*
*Hiſtorias omnes, omnia iura docent.*
*Iam tibi Caldæi mores, iamq; ultimus orbis*
*Panditur, & ſoboles, & loca prima uirûm.*
*Hebrææq; nurus ſubito, natiq; parentes,*
*Et quo ſe iactat Græcia magna Sophos.*
*Ille quidem felix lingua fœcundior; uni*
*Qui potuit menſæ tot bona ferre dapes.*
*Ille ſecundus Atlas, cœlum uirtutis honore*
*Suſtinuit, caſus nec timuiſſe ferunt.*
*Iam laquei ſurgunt, & inextricabilis ordo,*
*Per quem uera patent, & ſimulata tibi.*
*Ille gerit dextra primaq; in fronte labores,*
*Non intellecta currit in aſtra uia.*

Omnia

Omnia confundit, diſponit, turbat, & auget,
Illa quidem uirtus dignior illa Deo eſt.
Hac iter ad ſuperos, tales agit illa receſſus,
Illa pares animos uiribus illa gerit.
Aurea Rhetorice ſequitur, mouet illa, trahitq;
Quo uelit, aduerſas nec timet illa manus.
Sæpius illa reos merita de morte recepit,
Sæpius inſontes in fera fata tulit.
NON tamē eſt artis uitium, ſed lingua loquentis,
Quæ medicina iuuat, non medicina nocet.
Illa quidem cœlo ueniens ſe fundit in omnes,
Artibus illa nouis omnibus illa uacat.
Ruſticus audaci uultu ſibi uendicat illam,
Et uocat Æſchineum, Lyſiacumq; decus.
Vtitur & lingua, magni & Demoſthenis ore,
Des illi numeros Tullius alter erit.
Alma precor uirtus, proles fœcunda Deorum,
Cui licuit ſoli condere iura Deûm.
Per numen te diua tuum, per munera linguæ,
Per tam turpe forum ne patiare trahi.
Si leges, ſi prima creas mortalia iura,
Si paſſos homines ad tua iura uocas,
Nulla ætas unquam noſtra fœcundior una,
Quos creat una homines efficit illa Deos:
Sunt ubi tot ſenſus? ubi nam tam feruida cura?
Cui plus naturæ præſtitit ipſe Deus?
SI QVA parte uacat, nō eſt hæc culpa Deorū,
Nos ſumus elapſi cauſa modusq; boni.

EXERE



EXERE diuinos ad maxima pondera ſenſus,
Intereant una ne tua dona die.
Quid ſequar æternos animis laudare poëtas?
Qui nullam in terris non habuere fidem.
Senſus ineſt illis diuinus, ad alta feruntur
Sydera, concipiunt quolibet ore Deos.
Diuinos mores diuino pectore cantant,
Quæ fingunt uera non ſine luce manent.
Mille tibi uitæ referunt exempla canendo,
Seu Phedra eſt illis, ſiue canenda ſoror,
Siue Deos agitant, ſeu rapti ad ſydera, cœlum
Seu reſonant tragicis aſpera bella ſonis.
Nonnulli ſenſere Dei uenientia ſigna,
Venturum in terras & cecinere Deum.
Et mouere Deos, & neſcia corda moueri,
Carminibus Stygias nec timuere faces.
Et tibi ſit curæ medicam laudare ſalutem,
In qua quis uires numinis eſſe neget?
Ille Deus certe palma mihi dignior omni,
Qui prius à cœlo tot bona ſumma tulit.
Spiritus & quantum mortali corpore præſtat,
Et tantum per ſe numinis illa gerit.
Secula iam fas eſt æuo plaudente renaſci,
Ciricus ex palma dum ſibi ſerta facit. Cirici, & Iulitæ mart.
Dum comes emeritos imitatur mortis honores,
Dum quærit nullas pauper Alexis opes. Alexij cōfeſſo.
Dumq; ſuos hedera natos Syphoroſa coronat,
Quæ ſeptem cœlo pignora grata dedit. Symphoroſæ cum ſeptem filijs mart.

Hac ue=

Sol in Leone, Hac ueniente, caput Titan æquare Leonis
Incipiet, terris maximus ardor erit.
Et niſi ſuccurres, uictum ſeges ægra negabit,
Et Phaëtonteos illa timebit equos.
Forſitan inquires, quare Deus ipſe Leones
Suſtulit, Herculeas indicat ille manus.
Nobilis Alcides fama terraq; mariq;,
Ediderat clarum maximus ille decus.
Hercules interficit duos angues. Dum puer in cunis ſerpentes uicerat atros,
Dumq; renaſcentem contudit arte feram,
Ille Cleonæum eſt auſus ſpoliare leonem,
Laudauit nati Iuppiter ipſe manus.
Leonis raptus in cœlum. Et, ne nulla ſui nati monumenta manerent,
Suſtulit in cœlum quæ modo ſigna uides.
Illa nocere ſolent radiorum uerbere terris,
Illa malas peſtes, & mala ſigna mouent.
Effuge candentes flammas, nocituraq; tela,
Venturos rapiant ne tibi fata dies.
Vidimus abſumptas urbes, populumq; patresq;,
Et deſolatas, & ſine luce domos.
Sæuit & in pecudes hæc multum flamma rebellis,
Illa nocet terris omnibus, illa mari.
Suſcitat æquoreos ingenti turbine fluctus,
Sæuit & in fluctus, piſcibus illa nocet.
Et minor ille calor, quam Tiſbes fama ſequuta eſt,
Pyramus & Tysbe amãtes ſimul moriuntur. Quæ ſibi fata dedit, ne ſupereſſet amans.
Luce magis clara eſt hæc fabula, uiderat illam
Pyramus, ardet amans, ardet uterq; ſimul.

Inq;



Inq; uicem cupiunt ambo, ſtant fœdera nocte
Fallere cuſtodes, uenerat illa prior.
Territa uoce feræ nemorum petit illa receſſus,
Fœdera ne fallat, Pyramus ipſe uenit.
Vt loca proſpexit, ueſtigia nouit amantis,
Et quæ dedicerant uela cruenta uidet.
Credidit abſumptam, ferrum per pectus adegit,
Illa pauens, & adhuc feſſa timore redit.
Nouerat abſumptum iuuenem, ſupereſſe cadenti
Noluit, ipſa ſua eſt fortiter uſa manu.
Fama memor facti non inuidioſa ſilebit,
Si pedibus uires præſtitit illa meïs.
Atque utinam uires animoſa in bella dediſſet,
Phœbus erat maior, res mihi maius opus.
Poſſem belligeros in ferrum & fata uocare
Sæpe duces, pedibus bella liceret agi.
Interea fame, ſi qua eſt modo fama, per annos Margaritæ virg. et martyr.
Surgat, & à noſtris gemma feratur equis.
Vincat Olympiacos primo certamine curſus,
Agiſian uincat Cleodamumq; ſenem.
Pythia ſi malit, nulla uincatur ab aura,
Et Pelopis curſus, Oenomaumq; premat.
Et nihil Ætnei timeat certamina currus,
Nec Praxes illo dia feratur equo.
At Magdalene primam ſibi uendicat auram, Magdãlenæ.
Aſpice quas laudes, quos habet illa gradus.
Illa malas artes teneris concepit ab annis,
Sederat & menti non inimica Venus.

 Non

Non tot Penelopen iuuenes petiere pudicam,
Nec tot (ſi numeres) Lais amata procis.
Nec tam Priamiden facile Læ læa ſequuta eſt,
Sed fructus alios protulit illa ſeges.
Illa ſui uires animi, collegit habenas,
Delitias, Veneres, gaudia, furta negans.
Iam fugit aſpectus iuuenum, Deus ille magiſter
Conuertit quantum ſenſerat illa mali.
Et maiora poteſt, fratrem de morte recepit,
Exigua innumeros ſuſtulit ille dape.
Hunc ſequitur quantum diuina oracula poſſunt,
Huic uni uitæ credidit illa dies.

Poëtæ oratio ad diuã Magdalenam.

At Magdalene fama meliore canenda,
In nos extinguas quæ male parta uides.
Effice nuda Venus terrasq; orbemq; relinquat,
Nullus auaritiæ quærat auarus opes.
Artibus illa ſuis iam totum infecerat orbem,
Audet & in ſuperos arma mouere Deos.
Templa uacant, cultu diuûm ſpoliantur & aræ,
Et mouet iniuſta Mars ferus arma manu.
Ille Deos ſpoliat, ne iuſta pace fruatur,
Et putat argento uiuere poſſe Deos.
IN Scelus omne ruit, regnandi tanta libido eſt,
Iuſtitiæ uires perfida bella putat.
Dum ſe captiuum, ſed Dijs ultoribus hoſti
Reddat, & imperio ſit minor ille ſuo.

Fortunæ mutabilitas.

HEI Mihi quàm ſeries, quantum mutabilis ordo,
Quas fortuna rotas, quas agit illa uices.

OMNIA



OMNIA conuertit, quem cœlo ſuſtulit, illa
Deprimit, & telo uerberat illa graui.
ILLA magis ſæua eſt, quando felicior illa,
Illa nocet miſeris, regibus illa nocet.

Franciſc⁹ Galloru; Rex iuxta Ticinum.

Venerat in Latias ſuperatis alpibus arces
Gallus, & Inſubrum uicerat ille genus.
Sed dum Ticino crudelia bella minatur,
Vincitur, & præda eſt hoſtibus ille ſuis.
Iam ſibi diuitias, alter ſibi quærat honores,
Me iuuat in patrio condere aratra ſolo.

Aglauus Prophodius apud Plynium lib. 7. cap. 46.

Nec mores damnare ſenis, quem Phœbus in altum
Suſtulit, exiguo dum iuga monte mouet.
Ille quidem Cræſo fuerat felicior omni,
Ille quidem tutus, proximus ille Deîs.
Forſitan & nobis, nec me mea fama relinquet,
Dum canimus cœli pondera, numen erit.

Apollinaris epi & mart.

Numen erit certe, cœli reſeratur imago,
Et redit ex ipſo dignus honore Deus.

Chriſtinę virgin. & mart.

Quem ſequitur uirgo, quæ numina falſa parentis
Fregit, in hac ueram quis neget eſſe fidem?
Omne genus pœnæ uirgo contempſerat, una
Serpentes uicit, uicerat una faces.

Iacobi apoſtoli.

Iam tibi ſydereî cœli reſerantur honores,
Diue Iacobe tua eſt hæc tibi tota dies.

Poëtæ oratio ad diuum Iacobum.

Salue magne pater, uere decus addite diuis,
Per quem uita mihi eſt non inimica Deo.
Da mihi diuinas animoſo in pectore uires,
Et tibi poſſe tuos inſtituiſſe dies.



Si qua

Si qua mihi mens eſt, illam precor optime uates
  Obſerues, templa eſt illa datura tibi.
Et ſi non terris, cœlo tibi templa dicabo
  Aurea, quem recitem tu mihi ſolus eris.
Solus eris certe, cui templa dicemus & aras,
  Iamiam lapſuras aſpice ſumme pater.
Da pater in portus, iam tempeſtatibus actis,
  Ire, tibi tellus, & patet unda maris.

Diui Iacobi tēpli Gallitiæ in Hiſpania laudes.

Tu regis Hiſpanos, duro defendis ab hoſte
  Mœnia, proq; tuo Cæſare ad arma uenis.
Te duce belligeræ ſuccumbunt mœnia Parmæ,
  Gallorumq; manus, Heluetijq; truces.

Leo .X. pōt. max. Parmam cepit, & Gallos ab Inſubria fugauit.

Ter fera barbaries auſa eſt expoſcere regnum,
  Victa tamen uictas ter dedit illa manus.
Quis te magne neget rector deſcendere cœlo,
  Quum fera uictori Gallicus arma dedit?
Sic precor ut felix felici tramite curras,
  Et niteas uultu, quo Deus ipſe nites.
Nec dubites noſtris mandare nepotibus arma,
  Suſtineant illa fac Deus arce caput.
Quid capiat mens alta uides, quid concipit illa,
  Quod decus & meriti, quàm pia mater alat.

Annæ matris Mariæ.

Illa uirens folijs, & fronde beatior arbos
  Emicat, & cœlo eſt non minor illa ſuo.
Quos cœlo flores, quas terris protulit herbas,
  Floribus ex ipſis aurea gemma micat.
Naſcitur è gemma genitor Deus ille Deorum,
  Nil maius nobis illa datura fuit.



Illa tamen ſterilis primæuo in flore iuuentæ,
  Sed melior quanto tardior illa fuit.
Nulla magis pinguis, nulla eſt fœcundior arbos,
  Iam pater exulta, nata puella tibi eſt.
Tu quoque diua parens ramis felicibus arbos,
  Concipe natali uota ſecunda tuo.
Nec tibi diua parens ſteriles contemnere partus
  Cura ſit, & uentris ſis memor ipſa tui.
Effice fœcundas, nec in uno ſemine matres,
  Effice ne doleant quæ doluiſſe ſolent.
Effice maturi ueniant de corpore partus,
  Gaudeat inq; tua ſexus uterque manu.

Paſtoris confeſ.

Quæ ſequitur celebri Paſtoris nomine gaudet,
  Dicite paſtores annua uota Deo.
Ille Deus ſegetes nobis fœcundat, & ultro
  Explicat audaci plurima farra manu.
Excutit è palea Cereris quæſita labore
  Munera, fœcundas ille tuetur oues.

Hermolai presbyteri et mar. Pantaleonis mart.

Proximus alter adeſt, primos habet ille receſſus,
  Ducit & inuictas Pantaleonis opes.
Currimus ad ſtadium curſu tam fortiter uſi,

Nazarij & Sociorū mart.

  Quum mihi Nazarius, quum dedit ipſe comes.
Hunc ſequor, at fertur curſu uelocior aura,
  Ille ſibi palmæ præmia ſolus habet.
Nec negat optatos, ſocijs partitur honores,
  Interea Martham dum canit una dies.

Marthæ virg.

Naſcitur alma parens Syro genitore, tenebat
  Fortiter Aſſirias in ſua iura manus.

Ille etiam Solymas gentes ad iura uocabat,
Vtraque Bethanæ ſubdita terra fuit.
Illa licet diues, cultuq; induta ſuperbo,
Contempſit uanas diuitis orbis opes.

Martha Chri̅ hoſpita.

Mente Deos adijt, concepit & æthera mente,
Illa Dei necnon hoſpita facta fuit.
Quum pater æthereas uictor uolitaſſet ad arces,
Rexerat illa ſuas, illa ſororis opes.
Sed quum diuinos Stephanus meruiſſet honores,
Illa per aduerſas cogitur ire plagas.

Martha pelago expoſita Maſſiliā peruenit:

Illa datur pelago ſine remis, unda fauebat,
Maſſiliæ portus tuta carina ſubit.
Hîc uiget alma fides, ſerpentem uicerat, illic
Mitibus obſequijs te pater alme fouet.
Te toto genitor ueneratur pectore diua,

Martha ſuſcitat hominem a ſerpe̅te occiſum.

De Stygia iuuenem te duce morte uocat.
Dat tibi templa, tuos & felix auget honores,
Poßidet & partes illa uocata ſuas.

Felicis po̅t. max. & mart.

Atra dies oritur, Felix de ſede mouetur,
Et patitur miſeros Martia Roma gradus.
Nec ſatis hoc fuerat, Felix damnatur ab hoſte,
Ædem Agapete tibi condidit ille ſacram.

Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis mart.

Erigit, ut digna eſt, cœlo caput alma Beatrix,
Nec ſola eſt, comites præuenit illa ſuos.
Quid loquar infantis uoces, & fata tyranni?

Abdon, & Senne̅ mart.

Non ne uides quanto ſpirat odore polus?
Ille Deum ſpirat uoces, fuſumq; cruorem,
Spectant qua poßint tangere ſigna manu.





Pugnantes palmam accipiunt, & mortis honores,
Neq; ſuis meritis digna referre negant.
Dij precor in cœlo nobis eſtote fideles,
In ueſtro liceat fonte lauare caput.
Et quanquam in uobis finis mihi menſis agatur,
Non tamen à ueſtris ala recedit aquis.

# HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM

## *LIBER OCTAVVS.*

Cæſaris laus.

CÆSARIS Alma dies, mihi luce ſacratior omni,
Quæ laudes anni, menſis & huius habes.
Annue, dum nobis Romæ recitantur honores,
Gaudeat inque tua pagina noſtra manu.
Inuida fama tace magicis præfixa uenenis,
Nauigat in portu tuta carina ſuo.
Te ferar inuita, toti bene cognitus orbi,
Temperat æterna qua Deus aſtra manu.
Inuida fama tace Stygijs de ſedibus orta,
In te, de cœlo, reſpice, tela cadunt.
Bella geras, aciem numeres, mortemque mineris,
Nil facies, animo nil tua tela nocent.

Muſa dux poëtæ in hoc libro.

Nobis Muſa comes, nullas timet illa ſagittas.
Non fraudes, quamuis fraude nocere ſoles.

Pauli pōt. max. laus.

Per mare, per terras, per ſydera Phœbus apertum
Tendet iter, tribuet Paulus & ipſe uiam.
Tu licet extingui cures mea nomina, tantum
Auſa nefas, uiuam per tua tela tamen.
Qualis Dardanius ductor, quum linqueret urbem,
Per medios ignes dulce ferebat onus.
Qualis & ad pontem iam cocles Horatius ille,
Quem res Romanas ſuſtinuiſſe ferunt.
Te mea fama premet, quantum tu perdere tentas,
Illa mihi tantum reddet in arce Dei.
Nonne uides alios uates, quos terra creauit
Viuere? & inuictos non habuiſſe Deos?
Crede mihi æternum nomen mihi carmina debent,
Inuidia extingui ſi tamen una potes.
Et potes, & mereor, duce me cognoſcit honores
Roma ſuos, duce me numina mundus habet.

Pauli pōt. max. laus. Cur Paulus electꝰ fuerit pō. max.

Atque utinam poſſem Pauli memorare triumphos,
Nulla mihi maior fama futura fuit.
Dicam equidem quare Romanam adſcitus in urbem
Cœperit imperij frena tenere ſui.
Criminis atra lues terrarum infecerat orbem,
Et ſcelerum latas ille tenebat opes.
Iam fera Tyſiphone Stygijs emerſerat undis,
Cæde caput dirum, cæde cruenta manus.
Et Pater ipſe licet Stygias properaret ad undas,
In natos dira bella mouebat ope.
Filius ipſe patrem crudeli lege premebat,
Et fuerat nato dira nouerca parens.

Redde



Adde quòd errabāt Veneris ſimulachra per orbem,
Inter mille fuit nulla pudica nurus.
Et puer ætatis flores corruperat ultrò,
Nec putat horrendum quod facit eſſe nefas.
Et fratri coniuncta ſoror, fraterque ſorori,
Et Patri horrenda filia iuncta face.
Hæc Venus, hæ fraudes cœlo uicina petebant,
Non impune tulit tam fera facta Deus.
Bella, famem, & falſas ſectas reuocauit ab orco,
Vt ſcelerum pœnas perfida turba daret.
Iam bene compoſiti mores meliora petebant,
Sed timuit primas criminis ille faces.
Romanum iubet ire Iouem, dat præmia ferre,
Quantaque maieſtas, quanta dat alma dies.
Nullus erat cœlo maior, qui pondera ferret,
Herculeas Paulus ſolus habebat opes.
Nullus erat toto uirtute potentior axe,
Ante annos Paulus ſcire futura tulit.
Quum Deus a cœlo in terras hunc forte uocaret,
Pythagoræ falſas enumerabat opes.
Credidit ille ſenex nulli mortalia curæ
Eſſe Deis, uires ſuſtulit ille Deûm.
Hoc quoque Diagoras, & idem Gargeticus ille,
Forſitan & uirtus Stoica quanta fuit.
Vane quid inſurgis? certe tua falſa uoluntas
Te ferit, & gladio concidit icta tuo.
Nonne uides quantum diuina lege fateris
Compoſitum? inque ſuas ire elementa uices?

Pythagoræ, Diagoræ, et Gargetici opinio praua.

I 5 Scilicet

*Scilicet autorem terræ cœlique fateris,*
*Atque hæc mortales non habuiſſe manus.*
*Qui creat ille Deus, qua lege elementa creauit,*
*Temperat, & uires non negat ipſe ſuas.*
*Spiritus ille ſacer terras ſe ſundit in omnes,*
*Inque uicem cœli temperat ille locos.*
*Et maris undoſi tractus moderatur & auras,*
*Et Stygios manes terret & ille ducem.*
*Quid tam nota loquar? Paulus deſcendit ab alto,*
*Impleat ut ſenſus principis ille Deûm.*
*Ille docet leges, & uatum carmina uera,*
*Concutit & muros, quos uidet eſſe malos.*
*Pellit ab urbe Magos, falſas ſectasq́; retondit,*
*Ne redeant ſcelerum quæ nocuere faces.*
*Hac qua lege ueles data regna o Paule gubernes,*
*Nulla fides maior quam nocuiſſe malis.*
*Vt facit alma fides duce te ſe ſundit in omnes.*
*Et qui concelebrent inſtrue quæſo Deos.*
In Iudæos inuectio. *Iudæamque manum Latio procul orbe repellas,*
*Si lubet, autorem non timet illa ſuum.*
*In ſcelus omne ruit, noſtrum bibit illa cruorem,*
*Tempora uendit inops, & ſcelerata dies.*
*Fœnerat, hocque ſibi Moſis de lege licere*
*Credidit, & legum deſtruit illa gradus.*
*Concute Leutheri fallacia pectora, quantum*
*Seminat ille mali dirue, uictor eris.*
*Effice ne uiolet diuina oracula legis,*
*Effice ne terris pullulet herba nocens.*

*Fortibus*

*Fortibus ille licet ſe ſe defendat in armis,*
*Te tamen agnoſcet fortius eſſe nihil.*
*Illa tui uirtus cœlo delapſa ſereno*
*Diruet hunc, primo uulnere uictus erit.*
*Hoc quoque te uellem terras purgare iacentes*
*Crimine, quo maius nil ſibi mundus alit.*
*Inuentas diri labes abolere Simonis,* In Simoniam inuectio.
*Inq́; Deûm cultu compoſuiſſe numos.*
SCILICET *in rabiem nummi ſine fine feruntur,*
*Hac quærunt aras, hac pietate Deum.*
IN PRETIO *uirtus nulla eſt, diuina reſeruo*
*Pectora, quæ laudes excoluere tuas.*
*Illas imperij uires committe tuendas,*
*Elige conſilijs poſt tua facta duces.*
*Redde iuſta pijs, defendere legibus orbem,*
*Diuitias illis, quos meruiſſe uides.*
*Et uos ò templi proceres, quos infula texit,*
*Currite quo curſu curritis ante Deum.*
*Cum Paulo ueſtro cœli mihi pandite portas,*
*Per uos me liceat quo iubet ire Deus.*
*Muſa quid enumeras zonas, quas ſuſtinet axis?*
*Quarum quæ media eſt ſemper ab igne calet.*
*Cauſa patet, rectos radios quia Phœbus ad illam*
*Dirigit, æquatis fertur & uſque rotis.*
*Hac ratione coli nuſquam ſenſere poëtæ,*
*Sed ſolis poſita eſt inter utranque domum.*
*Et quæ terra tenet medium noctisq́; dieq́;,*
*Poſſe coli magnus ſenſit Ariſtoteles.*

*Illa*

*Illa igitur tellus, cui nox eſt æqua diebus,*
*Perpetuo colitur, nec nocet ipſe calor.*
*Nam licet aßiduis uexetur ab ignibus illa,*
*Non tamen æquato temperat orbe diem.*
*Quæ ſequitur flammis & frigore temperat orbem,*
*Frigida ſemper iners, ſemper abundat aquis.*
*Te maiora uelim reſerare arcana Deorum,*
*Vt ferar auſpicijs ſumma per aſtra tuis.*
*A te prima mihi ratio de menſe rogetur,*
*Non ſine te nobis illa canenda fuit.*
Iulij Cęſaris cædes in ſenatu. *Iulius ille Deûm proles & gloria Cæſar,*
*Per quem ſydereas Roma petebat opes,*
*Cæditur infelix hoſti iurata per arma,*
*Alter erat Cæſar, non minor ille fuit.*
*Hic patris auſpicio Romæ ſuſcepit habenas,*
*Inter cœleſtes ſuſtulit ille patrem.*
*Et quum ſub cœlo nil maius Roma uideret,*
*Hoſtiles poſtquam uicerat ille manus.*
Cęſar q̃re Auguſtus. *Nomen ab augendo imperio conceßerat illa,*
*Hic honor & patri fecerat eſſe parem.*
Auguſtus menſis vnde. *Templa datura fuit, menſis ſacrauit honores,*
*Quos cœlo in terras traxerat ante pater.*
*Per tot labentes annos, per ſecula mille,*
*Ad nos aßiduis ille cucurrit equis.*
*Nomine gaudet adhuc felici & Cæſaris ortu,*
*Quum uenit Auguſta non ſine luce uenit.*
Machabęorum mart, *Componit fratres Machabæos unus in unum,*
*Quantaq; ſit uirtus, quanta ſit illa fides.*

*Illa*



*Illa fides cœlo, quæ maxima reddidit omnes,*
*Illa memor patriæ gens fuit illa ſuæ.*
*Scilicet & fortis Iudas, & maximus ille*
*Oppetijt, patrias ut retineret opes.*
*Neſcio quid maius numerat mihi menſis in illo,* Petri vincula.
*Principium gaudet nominis eſſe ſui.*
*Clauſerat illa ducem, lux uincula fregerat illa,*
*Clarior è cœlo ne uioletur adeſt.*
*Perfidus Herodes tandem ut monumenta Deorum*
*Vinceret, in noſtrum mouerat arma ducem.*
*Huic Deus occurrit fraudi, fera uincula rumpit,*
*Clauſtraq; diuina non niſi fracta manu.*
*Vincula qui pateris, labes & carceris atri,*
*Condita dum ueniet ſit tibi tanta dies.*
*Inuenies in ea magnam (mihi crede) ſalutem,*
*Iuſtitiæ uires ne uelit illa caue.*
*Illa nihil ſanctum uiolat, nil legis iniquæ*
*Accipit, in cœlo conſulit illa Deos.*
*Conſulit illa Deum, quantum decreuerit ille*
*Perficit, & iugulat quos uidet eſſe reos.*
*Quos ſine fraude uidet lingua defendit & armis,*
*Ne dubites fiet fortior ille tibi.*
*Non ſcelus admittit, per mille tuebitur hoſtes,*
*Per ferrum, atq; ignes, per fera damna feras.*
*Per maris undoſi fluctus, per quicquid acerbum eſt,*
*Hoc cœlo, hoc terris uendicat illa decus.*
*Viribus illa potens, ſi diuûm cura iuberet,*
*Cœlicolum cœlo pelleret illa manus.*

*Vna*

Vna acies belli diſponeret, una cohortes,
Cumq́; Deo euicto ferret ab hoſte decus.

Lucretia Romana de q̃ Val. Max. lib. 6. cap. 1.

Nec foret uſa ſua fortis Lucretia dextra,
Si bene cognoſſet quid ferat iſta dies.
Illa quidem ſine morte ſuum ſeruaret honorem,

Phillidis mors.

Arbore nec Phyllis uincta fuiſſet amans.
Nec ſe præcipitem turri miſiſſet ab alta,
Ardenti patriæ ne ſupereſſet inops.

Portia M. Catonis filia, de q̃ Val. Max. lib. 4. cap. 6. de amore coniug.

Nec ſibi candenti uitam carbone tuliſſet
Pro ferro, miſeri funere mota uiri.

Stephani pthomartyris inuentio.

Nec minor illa dies, quamuis minor illa uidetur,
Quæ Stephani fuſo ſanguine tota rubet.
Nullum habet illa ſcelus, nullum timet illa furorem,
Et quàm læta tibi, quàm tibi magna uenit.
Forſitan inquires qui ſit Deus ille per altum,
Qui uolat, extremos uendicat ille dies.
Clauſtra prior nobis cœli reſerauit & arces,
Primus & inuictis ille triumphat equis.
Ille Dei ſequitur magni naſcentis honorem,
Et natale ſolum nuntiat ille Dei.

Virginis Mariæ niualia.

Ecquid in æthereis cœli mihi panditur oris?
Solibus in medijs & niue canet humus?
Hæc ſunt alma tuæ uirtutis præmia uirgo,
Hæc augent meriti præmia quanta tui.
Sic ſemper cœlo iungas, nox illa ſalutem
Procreat, è gremio dum cadit illa tuo.

Dominici confeſ.

Heſperij canit illa patris monumenta, labores,
Quantus & ex illo eſt religionis honos.

Cœleſtes



Cœleſtes habitus, caſtæq́; inſignia uitæ,
Virtutum ſeriem, Socraticosq́; gradus.
Ille Deus Thomas uita præſignis & arte,
Gaudet in hoc cultu ſe ſuperaſſe Numam.
Ille Deus terris, cœlo Deus ille uidetur,
Ingens eq́; Deo diſſeruiſe iubar.
Et genus & uires, & ni peccaſſet Adamus,
Inter mortales non habitaſſe Deum.
Tanta ſed æterni fuerat clementia patris,
Vt non humanas deſeruiſſet opes.

Transfiguratio Christi.

Altera maior adeſt, neque enim felicior ulla,
Illa hominem nobis nuntiat, illa Deum.
Qui Thaburum aſcendens, in ſummo uertice cultus
Exuit, & uere ſe dedit eſſe Deum.
Ecce nitet flammis, & mille coloribus ille,
Illa hominis facies non erat, illa Dei.
Et ne nulla fides inſignia tanta moneret,
Exibuit ſeclo non moriente duces.
Et uox uera patris cœlo delapſa canebat,
Hic eſt, quem genui, filius ille meus.
Hunc audite omnes. iam uerticis ima petebat,
Quiq́; aderant factum conticuiſſe iubet

Pauli pōt. max. laus.

At tu Paule tamen, qui cœlica iura tueris,
In populo hanc iubeas terq́; quaterq́; legi.

Sixti, Feliciſſimi, & Agapiti mart.

Cum Felice ſuo Sixtus lætatur in illa,
Proq́; illa extremum ſuſtinet ille diem.

Donati epiſcopi & mart.

Ipſe tuos equidem canerem Donate labores,
Ni tua & in cœlo gloria nota foret.

Vos

Ciriaci, Largi, & Smaragdi mart.

Vos quoq; felices animæ, quas Roma creauit,
Pellite de Stygijs ſemina nata locis.
Pellite crudeles obitus, & mortis iniquæ
Funera, ſunt ueſtra funera uicta manu.
Per uos Armenie Chriſti monumenta ſequuta eſt,
Per uos Perſarum regia uiuit adhuc.
Vtraq; læſa fuit Stygio fraudata tyranno,
Vtraq; & in cœlo tam pia dona canit.

Laurẽtij mart.

Alma dies oritur, flammis armatur & igni,
Nexaq; Daphnea tempus utrunq; coma.
Salue magne pater, cœlo clariſsimus alto,
Laurenti à lauro qui bene nomen habes.
Tu potes inuictus diras contemnere flammas,
Et mortem, & quantum ſanguinis illa uehit.
Tu nihil inuictus trepidas ad funera mortis,
Crudeli ad ſuperos te iuuat ire uia.

Romani mart.

Romanumq; uocas, tua per ueſtigia currit,
Te duce nil, Decio fata minante, timet.

Oratio poetæ ad diuũ Laurentium.

Qui nihil ardentis timuiſti fulmina flammæ,
Igne precor moueas templa, ſepulchra, Deos.
Vidimus afflatas diuino fulmine turres,
In cineres regum uidimus iſſe domos.
Vidimus inuictas acies iuga ſæua tuliſſe,
Et prædam reges hoſtibus eſſe ſuis.
Iam ſatis agnoſcunt bellorum funera gentes,
Et quantum ualeat Dardana terra manu.
Bella precor ſuperi, belliq; mouete furores,
Iam liceat rebus non ſine pace frui.





Pace frui liceat Cæſar fortiſsime, diuûm
Cura, tuas gentes in ſua caſtra tene.
Terra gemit, uiduata parens in funera currit,
Et rapit Andromache fortis ab hoſte uirum.
Nocte dieq; ferox bellum metitur in haſta,
Et puer ante annos bella aciemq; uocat.
In ſcelus audaces, in crimina mille feruntur,
Nil non triſte manus per fera bella gerit.
Hoſtibus & ſenior feſſus, labentibus annis
Victus, & euictis ipſe reſiſtit equis.
Naſcitur hinc rabies, ſcelerum contagia mille,
Furta, doli, cædes, ſtupra nefanda, Venus.
Coniugij uiolatur amor, diuenditur, auri
Tanta ſitis, patriæ gloria quanta fuit.
Nulla fides, falſum patriæ iuratur in arma,
Hinc ſubitæ mortes, funus & ante diem.
Quo ruitis uanæ mortalia pectora mentes?
Quid pariet uobis impetus ille ferox?
DISCITE Iuſtitiam, mors eſt in limine belli,
Nec merces ueſtro digna labore uenit.
Non uos Herculeæ uires, non facta priorum
Exagitant, illa tollitis arte caput?

Tyburtij, & Suſannæ mart.

Tollite, iam fas eſt, micat unde Tiburtius, illuc
Currite, uictori præmia digna facit.
Colligit ille decus, uiolas, palmamq; recentem,
Armaq; deuictis hoſtibus ipſe gerit.
Aſpice quo clypeo ſe ſe defendat & haſta,
Qualis & hoſtiles emicat inter equos.

Claræ virg.

*Clara dies Clara de uirgine nunciat ortum,*
*Hunc habet unde ſuam temperet illa ſitim.*
*Hæc tibi fœcundos faciet de uite racemos,*
*Et ſua maturo palmite uina dabit.*

Hippolyti et ſociorū mart.

*Nec minor Hippolyto cura eſt, quocunque mouetur,*
*Oenotri inuento gaudet honore ſenis.*
*Idibus Auguſti canitur, mediusq́; uidetur,*
*Sed non dimidio fertur in orbe Deus.*

Euſebij p̄sbyteri.

*Proximus Euſebius ſua per ueſtigia currit,*
*Ille mihi multo ſemper honore Deus.*
*Ille patri felix felicia rura tuetur,*
*Siquando aret ager, de Ioue mittit aquas.*

Poetæ agellus.

*Sancte pater patriæ noſtri defenſor agelli,*
*Hoc ſemper cultu uel meliore ueni.*
*Te duce partus ager maior mihi fiat in annos,*
*Diuitiæ creſcant per tua dona meæ.*
*Multa dies inimica tulit, multa abſtulit hoſtis,*
*Suſtinui feſſum per tua dona caput.*

Cipelli Piccolominis laus.

*Hoc precor, hoc maius, nomen defende Cipelli,*
*Ille tibi ad cœlum ſurgere templa iubet.*
*Ille tibi ſacros cultus donauit & aras,*
*Noui animum, ad laudes ſe feret ille tuas.*
*Maximus ingenio, linguaq́; potentior omni,*
*Vnus iuſtitiam temperat, unus auos.*
*Vix puer Auguſtas leges defenderat æque,*
*Iniuſte nocuit ſed mala fama uiro.*
*Altius ille caput ſublimi uertice tollit,*
*Et putat inuidiæ nil nocuiſſe faces.*

Perſide



*Perſide quid facies? tua tela inimica nocebunt,*
*Non timet aduerſas tutus ab hoſte manus.*
*Vos ſeruate precor thalami data fœdera matres,*
*Dum uolat ad patrias uirgo uocata domos.*

Suſannæ hiſtoria.

*Hac uirtute petit cœlum Suſanna per hoſtes,*
*Hac uirtute nefas & fuit ulta ſenum.*
*Ante annos fuerat uirtute inſignior omni,*
*Sed magis hæc caſti ſigna pudoris habet.*
*Helcia Ioacime hanc thalamo tibi iunxit habendam,*
*Diuitijs patria maior es ipſe tua.*
*Et te turba frequens, digno ſed honore, colebat,*
*Protinus arſerunt in ſua damna ſenes.*

Senes cōueniūt Suſannam,

*Illa uocat famulas, ſe ſe de more lauabat,*
*Currit ad amplexus dirus uterq; ſenex.*
*Atq; ita complexi uiolata mente loquuntur,*
*Nemo uetat, uotis annue diua parens.*
*Vrimur igne tuo, tua nos præſentia mouit,*
*Et decor, & probitas, & tua nota fides.*
*Sin aliter iubeas, mortem tibi crede paratam,*
*Nos erimus teſtes in tua damna mali.*
*Illa oculos tollens, & claræ frontis honores,*
*Hei mihi ſunt acies, undiq; bella ſonant.*
*Præpoſuit morti ſanctos uirtutis honores,*
*Ducitur infelix iudicis ante diem.*
*In ſe iurati teſtes uerba impia dicunt,*
*Iam durus iudex criminis ultor erat.*

Daniel liberat Suſannam a morte,

*Sufflatus ſancto occurrit Danielus ab igne,*
*Seuocat, & teſtes ingenioſus agit.*

K 2 Dic

Dic age uidiſti ſub qua tamen arbore? uterque
Diſſidet, in flammas in ſua fata ruunt.
Illius & uitæ & caſti ſeruantur honores,
Hæ fuerant artes, ò Daniele tuæ.
Clare puer cœlo dignus defende puellas,
Quas Venus inuitas in fera ſaxa trahit.

*Aſſumpti. virginis Mariæ.*

Vos decus o matres, & uos ſeruate puellæ,
Hoc iubet in gremio uirgo recepta patris.
Altior illa uolat, ſolis tranſcendere currus
Audet, & in cœlo ſigna quot eſſe uides.
Cœleſtumq́; manus illam comitantur euntem,
Deponit ueſtes candida uirgo ſuas.
Humanam carnem ſpoliat, terrenaq́; ponit
Corpora, diuino flamine iuncta micat.
Accipit illa ſui nunc cœlo digna laboris
Præmia, cum nato temperat illa Deos.
Temperat & terras, tantum uirtutis in illa,
Quantum nec capiunt cuncta elementa ſibi.
Illa polo iungit terras, late imperat illa,
Humanas nunquam deſerit illa manus.
Vera ſalus illa eſt, quos uiderit illa dolentes,
Solatur, pellit funera, & ante preces.
In ſua uota trahit uirgo natumq́; patremq́;,
Sæpius iratos in meliora uocat.
Sæpius illa homines media de morte recepit,
Quum peſtis late ſerperet atra lues.
Omnipotens genitor quoties fera fulmina mittit,
Dicitur ipſa manum ſuſtinuiſſe Dei.

Mill



Mille homines rapuit pelagi de fluctibus illa,
Mille homines rapuit per fera bella nece.
Quo magis hanc miror, tanto magis emicat illa,
Stellarum flammis altius illa ſedet.
Maxima uirgo ueni cœlo ſublimis ab alto,
Et terras omnes in tua iura uoca.
Effice te agnoſcant Indi, teq́; ultima Thule,
Viuat & auſpicijs utraque terra tuis.
Hinc tibi Rocchus adeſt, peſtes & fulmina pellit, *Rocchi confeſ.*
Seu Deus, aëriæ ſiue minantur aquæ.
Illi terrarum tractus, illi æquora debent,
Et quicquid fixum ſub Ioue mundus habet.
Aſſyrij, Cretes, Arabes, & Dardana tellus,
Eripuit medijs caſibus ille uiros.
Sæpius admonui, repetens iterumq́; monebo,
Quiſquis ut ad Rocchum ſe ferat ante pedes.
Ille poteſt multum terris, ſed plurima cœlo,
Præſentem morbum protinus ille mouet.
Mox Agapetus amans tria luſtra peregerat, audet, *Agapeti mar.*
Audet in hoſtiles fortiter ire manus.
Numen utrunque tibi terris laudetur & alto,
Quæ tibi promittent dona peracta putes.
dabis inſignes auri per templa figuras,
Talia ſub cœli pondere ſigna dabunt.
Hinc Ludouicææ panduntur limina portæ, *Ludouici epi & cõfeſſoris ordinis minorum.*
Ingreſſus ad quæ non tamen omnis habet.
nus iter pandit uirtute inſignis & annis, *Bernardi abbatis.*
Ni fuerat Moſes, ille futurus erat.

 Explicat

Explicat ingenij remis ſpumantibus æquor,
Vinctaq; Daphnea tempora fronde gerit.
Hic tonat ore Deos, ſed uirgine gaudet in una,
Quanta illi uirtus, dextera quanta fuit?
Non illo maior Phlegias, non dextera Theſei,
Credimus Herculeas hunc habuiſſe manus.
Traxit ab infernis ditem fortiſsimus oris,
Et uinxit forti perfida colla manu.
Dum loquor, ecce tibi ſignato tramite currit
Phœbus, & in pura uirgine iungit equos.

Sol i Virgine.

Virginis an qui ſit quæres occaſus & ortus?
Illa tibi nox eſt, illa negata tibi.
Nox eſt illa quidem, nec limite currit aperto,
Donec mortales exuat umbra manus.
Quum tibi ſoluentur fatali hæc uincula lege,
Hæc tibi clara dies, nox & aperta tibi.
Altius ad carmen penna meliore uolabis,
Atq; iterum faſtos & noua iura dabis.
Quæ bene componas cœlo meditatur in alto
Ipſe Deus, uiuo forſitan ille dabit.
Sume animos, & fila lyræ non mortua iungas,
Orpheus à Stygijs qualiter exit aquis.

Hippolyti et ſociorũ mart.

Quo nunc ire times? Deus eſt qui pectora tangit,
Et iubet Hippolyti te meminiſſe diem,
Per quem ſyderei mores, & ſecula ſurgunt,
Incidit in pœnas & ſcelerata manus.
Ille uides quàm pulchra gerit monumenta pudoris,
Viuus & à Stygijs ille reſurgit aquis.

Gno



Gnoſia nil nocuit coniunx, nil uerba nouercæ,
Nil illi phocæ, nil patris ira nocens.
Non ſinit ipſe Deus cœleſtia corpora lædi,
Sic pro uirgineo pectore cerua data eſt.
Sic quicunq; ſacras uiolauit Cæſaris umbras,
Turpiter ante diem uulnera ſæua tulit.
Hic preceps tumidis caſu ſubmerſus in undis,
Hic ſe, quo ſacrum, uulnerat enſe caput.
Perfidus ille etiam ſuperis ultoribus umbras
Exuet, in noſtrum qui tulit ire ducem.
Fortiter ille nefas exerto impleuerat enſe,
Reppulit audaces ſed Deus ipſe manus.

Sodomæ ſũmerſio.

Quid loquar horrẽdã Sodomã, horrẽdãq; Gomorã?
Obruit in medijs quas Deus ultor aquis?
Et Deus humani generis defenſor & autor
Non impune tulit quæ fera damna tulit.
Senſerat Auſonias acies Solymena iuuentus,
Inuictumq; diu ſuſtulit enſe caput,
Pugnat & aduerſi patitur certamina Martis,
Impia ſed duris illa reſiſtit equis.
Hinc acies urgent, illinc tremor occupat artus,
Et multum terris inuidioſa fames.
Per famis horrendæ rabiem, per uulnera mille,
Romanas tandem ſuſtinet illa manus.

Prophetia de ceſſatione regni Iudææ & diſperſione Iudæorum.

Cæduntur paſsim iuuenes, & triſtior ætas,
Tanta ſed eſt ſummo dicta ruina Deo.
Scilicet Auguſto Iudas priuabitur Oſtro,
Quam ueniet, mitti quem Deus ipſe uelit.

 Infelix

Infelix, errat nulloq; receptus in orbe,
Et tamen erroris neſcius ille ſui eſt.
Menſibus exactis perierunt ſecula mille,
Nec uidet autoris dextera quanta ſui eſt.
Apoſtrophe poëtę ad Iudęos
Qui populus fueras populo diuiſus ab omni,
Cui primum leges tradidit ipſe Deus,
Cui Deus in terris toties ſe ſe obtulit uni,
Cui uatum linguas non ſine uoce dedit.
Te rogo per leges, per ſancta oracula legum,
Perq; Dei cultum, per genus ipſa tuum,
Per nomen, primi per ſemina prima parentis,
Per patris, aërias per Solomonis opes,
Viuiferumq; ſenem, per magni nomen Abrami,
Et qui penè fuit uictima facta Deûm,
Vt tandem agnoſcas ueri monumenta tonantis,
Et natum gremio uirginis eſſe Deum,
Et firmaſſe tui Moſis, ueterumq; figuras,
Inter quos uere dignior ille fuit.
Ille tibi æquoreos fluctus diuiſit, & undas,
Ille tibi è uiuo marmore fudit aquas.
Crede genus quondam inuictum, crede impia fata,
Crede triumphantes eſſe per aſtra Deos.
Tot populos, urbesq; Deo moriente renatas,
Crede reſurgentis corpora uiua Dei,
Crede per æternum iubar aduolitaſſe tonantem,
Et miſſum cœlo flaminis eſſe iubar.
Nos tua ſeruamus legum monumenta, quid obſtat
Credere, quod cœlum, quod docet alma fides?
Alma



Alma fides quid ſit rogitas? tibi panditur illa,
Conſule quos uates gens tua priſca tulit.
Illic inuenies quantum mens poſtulat, illic
Addita Iudæis noſtra elementa locis.
Illic ſupremi natum iubar eſſe tonantis,
Illic & uitæ mortis & omne genus.
Ille Deus didicit cunctis ignoſcere, uerum
An poteris Iuda diſſimulare Deum?
An potes illius laudes nomenq; tacere?
Qui tibi terrarum tot bona ſumma tulit,
Qui te uel medijs pelagi defendit ab undis,
Qui toties rapuit per fera bella duces.
Tu quoq; Dardanidū per quē monumēta reſurgūt, Apoſtrophe ad Turcam.
Conſule quæ curſu ſit tibi parta ſalus.
Dirue quas Phœbo genitor ſacrauerat aras,
Inq; tuo uiuat dignior orbe Deus.
Et procul abſcedat Maumes, nam quicquid in illo eſt,
Eſt dolus, & fraudes, & ſimulatus amor.
Perfidiam, luxus ſcelerum, contagia mille,
Condidit, & imis dirue cuncta locis.
Incipe iam mundi, & rerum cognoſcere cauſam,
Dignior & quæ ſit, uenerit unde fides.
Sic petitur cœlum, ſic itur ad aſtra, uidebis
Imperij æternas & ſine fine dies.
Sin autem inſurgent in te tua tela ſiniſtro
Omine, & hoſtili uictus ab enſe cades.
In te iurauit tellus, iurauit & unda,
Hæc fructus populis, illa negabit aquas.
K 5 Ne ui-

Ne uires, ne crede tuas in pondere ſceptri,
Hoſtiles paſſa eſt Africa terra manus.
Vidit & extinctas Priamus cum gentibus urbes,
Et Thebæ ſceptri nil niſi nomen habent.
Te quantum fouit fortuna potentibus armis,
Imperij tantum deprimet illa caput.
Quis fuit Æacide maior? quis'ue Hercule maior?
Et tamen eſt duros paſſus uterque gradus.
Hoc unum imperij leges defendet auitas,
Si tua ſit uera condita uita fide.
Terra tibi cedet, totus tibi cedet Olympus,
Ibis & inuicto per freta longa pede.

Ad Hereticos poëtæ apoſtrophe.

Vos quoque, perfidiæ maculati ſanguine diro,
Eripite à Stygijs corpora merſa uadis.
Vos laquei innectunt, uos falſæ uincula legis,
Rumpite fallaci uincula nexa manu.

Manichęus dux hæreſis.

Cernite demerſam Manichei fulmine gentem,
Quoq; Arius falſa cœperat arte nocens.
Qui cadit in præceps, fundo qui uoluitur imo,
Ille mali princeps perfidiæq; caput.
Quem rapiunt flammæ dextra læuaq; nocentes,
Altius & Stygio mergit in amne caput:
Proditor eſt Iudas, i nunc & numina ride,
I nunc & flammas, uiuaq; tela nega.
Aſpice tortores uarios, procul aſpice flammas,
Verbera, ſæuiciam, iudicis arma, faces.
Non ſic accendit Siculos fornacibus ignes
Mulciber, accenſo quum tonat igne Deus.

Proximus



Proximus eſt Maumes, & qui fraudatus honore,
Fallaces cecinit numina noſtra Deos.
Mille tibi apparent ſcelerum contagia, mille
Vulnera, quæ noſtra non tibi uoce dabo.
Altius immerſam tollas ad ſydera mentem,
Quæq; tibi uideas herba futura nocens.
Incipe ſupremas menſis numerare calendas,
Ante fores templi quattuor eſſe uides.

Diui Bartholomei apoſtoli. Ludouici cõfeſſoris regis Gallorum,

Vnus onusq; gerit horrendæ inſignia mortis,
Alter & in cœlo munera regis habet.
Ille gerit ſceptrum, capiti gerit ille coronam,
Pro qua pugnauit fortius ille manu.
Huic Deus in terris regni conceſſit honores,
Præpoſuit regni faſtibus ille Deos.
Hic uitæ laudatur honos, hic clarior ordo,
Ille poteſt ſummum conciliare Deum.
Ille quidem nulla deceptus imagine mundi,
Concepit, quanta eſt gloria, mente Deum.
Rex æterne animis, quem nec fortuna nouercans,
Terruit, haud ſumma ſuſtulit arce caput.
In terris nullo careas uirtutis honore,
Gloria nulla tibi, nulla negata dies.

Zepherini Pont. Max. & mart.

Quæ tibi dantur opes, Zepherino dantur, ab orbe
Ætherio quoties hic uenit, ipſe uenis.
Nulla mihi eſt muſæ per uos ablata facultas,
Seu uolui æternum diſſimulare Deum.
Seu libuit Pelopis deuicto ex hoſte trophæum
Ducere, ſeu ſeptem quas canit orbis opes.

Hic mihi

Hîc mihi facundi componite carminis odas,
Dum redeunt Lybici præmia quanta ſenis.
Auguſtini epi & confeſſo.
Illa redit uirtus uirtute potentior omni,
Quæ numerat ſtellas, quæ uidet arma Dei.
Ille infans matris nutritus ab ubere cœpit
Quas artes uellet, quæ monumenta ſequi.
Ille legit uates, totum bibit ille Platonem,
Et ſequitur ſenſus Attica terra tuos.
Explicat ingenio linguam Ciceronis & artes,
Nec timet incurſu Stoica lingua tuo.
Iam patet ille ſenex ſapientum nomine primus,
Et Mithylenei gloria quanta ſenis.
Prudentius ĩ Pſychecognomento heresis, Deus eſt mihi diſcolor inquit,
Hoc peperit falſas ſectas, & uincere certat,
Præbuit æthereo colla premenda iugo.
Hinc audet terris ſublimior ire per aſtra,
Currit, & ut pateant ſydera cuncta rogat.
Inquirit decus ille Dei, ueramq́; Deorum
Progeniem, & qua ſint facta elementa manu.
Ille Dei uigilans urbem componit in unum,
Temperat ille hominem, temperat ille Deum.
Denique diſcipulos firmat, monumenta ſequuntur,
Et Lybiæ populi, Parthus, & omnis Arabs.
Magne pater, uere cœlo ſublimior omni,
Ad laudem cuius gloria nulla uenit.
Funde tuos animos, ſenſus mea pectora poſcunt,
Illa precor tangas ignibus ipſe tuis.
Nil non diuinum per te pater alme canemus,
Si mereor laudis præmia ferre tuæ.

Hoc



Hoc te ſumme pater, ſed iuſta mente rogabo,
Me iubeas uates inter adeſſe nouos.
Vel, ſi non pateris, ſaltem concede roganti,
Vt tollam inuictum per tua dona caput.
Effice me uirtus, ſi qua eſt, me tollat in auras,
Nec negat hoc nobis forſitan ipſe Deus.
Hoc mihi promiſſit quondam genialis Apollo,
Dum canerem flammas Calliopea tuas. Poëta alludit ad tres Elegiarum libros quos cõpoſuit.
Secula iam centum nobis periiſſe uidentur,
Promiſſis nec adhuc gloria uera datur.
Non te Phœbe colam promiſſi muneris autor,
Impleat emeritos ni tua fama dies.
Vix puer ante annos aras & templa dicaui,
Ne foret ætatis fama ſepulta meæ.
Lux mihi nulla fuit ſine te, nox nulla receſſit,
Teſtis es & uitæ quæ monumenta meæ.
Si mihi fata dabunt curſus implere ſenectæ,
Agnoſcent omnes quæ mihi uita fuit.
Hactenus infelix, forſan mutabitur illa,
Et reor, & meriti poſtulat omnis honos.
Nec negat hoc Hermes, nec terris quicquid acerbũ Hermetis mart.
Suſtinuit, uires in noua iura dabis.
Si libet indignos mortis cantare triumphos,
Qua uè ſit in terris morte notata dies,
Vos precor, o fontes, & flumina, ſiſtite curſus,
Vt pateat quod ſit funus & unde rogus.
Impius Herodes uxorem fratris habebat,
Hunc Baptiſta premit, non timet ille Deum. Ioãnis decollatio.

Pandit

*Pandit Ioannes leges & iura tyranno,*
*In cædem iurat turpis amica uiri.*
*Protinus in dignas rapitur per uulnera cædes,*
*Cæditur, & nulli conſcius ille malo.*
*Sic pietas, ſic iura cadunt, ſic uincitur ordo*
*Iuſtitiæ, leges, ſic cadit altus honos.*
*Vltima lux habet unde ſuos tueatur honores,*
*Conſule quid poßit, maxima uela legas.*
*Ecce iterum in pelagus mea uela feruntur apertum,*
*Quoq; magis properant, hoc magis illa timent.*
*Me tamen unda trahit, quo mens deſiderat æqua,*
*Et quos concepit diſſerit una Deos.*
*Diſſerit illa Deum, uirgo quem mater adorat,*
*Et rerum arcanas illa recludit opes.*
*Oſtendit uates, primaq; in fronte parentes,*
*Venturum in terras qui cecinere Deum.*
*Et qua morte patris lapſos tueatur honores,*
*Et quæ deuictis hoſtibus arma gerat.*
*Et quæ cauſa patris gremio deſcendere iußit,*
*Illa quidem cauſa eſt prima canenda mihi.*
*Quem Deus æthereis hominem formauerat hortis,*
*Primus iter ſceleri, nomina prima dedit.*
*Nondum uicta fides ſuperas tendebat ad auras,*
*Quæ fuerant cœli terra tenebat opes.*
*Æthereas nondum iuraſſe in bella cohortes*
*Credimus, æterno quas Deus igne premit.*
*Aurea compoſitas tenuit concordia gentes,*
*Nec paſſa eſt diras non uiolenta manus.*

*Quod*



*Quod ſcelus emerſit, ſcelus hoc infecerat orbem,*
*Extimuit ſceleris tam fera damna Deus.*
*Inuidiæ nota, liuor edax, & ſparſa cruore*
*Fœda manus, cædes cæde cruenta ſua.*
*Expellunt, quantum tellus uirtutis habebat,*
*Cœleſtesq; uocant in noua fata Deos.*
*Protinus infelix genitor diſcedere iuſſus,*
*Et ſoror, & coniunx, & puer ille ferox.*
*Qui ferus ante aras gladio percuſſit Abelum,*
*Et quicunq; Deo perfidus arma mouet.*
*Hinc ignes, hinc tela ſonant, hinc fulminis ardor,*
*Et quæcunque Deo fulmina miſſa cadunt.*
*Hinc fera diluuij rabies, hinc uentus, & auræ,*
*Hinc cœli rabies, hinc maris unda ſonat.*
*Protinus occurrunt mortis contagia mille,*
*Hinc ſubitæ mortis funera peſtis edax.*
*Hinc dolor, & febres, & fati conſcia dextra,*
*Et furor, & morti non inimica manus.*
*Inuentumq; genus mortis per munera uitæ,*
*Raptaq; de Stygijs dira uenena locis.*
*Hinc belli crudele nefas, mortisq; cruentæ*
*Funera, quæ medio non tulit axe Deus.*
*Annorum ſeriem meta librabat in æqua,*
*Natum præfixo mandat abire die.*
*Ille hominum uitam accipiens, uitæq; labores,*
*Effugit Herodis, matre ſequente manus.*
*Victor Olympiacum bis curſu impleuerat orbem,*
*Plurima de cœlo temperat ante diem.*

*Ille ape*

Ille aperit leges, Solymeos concutit omnes,
Hæc fuerant magni prima elementa Dei.
Non mihi ſi totos Phœbus concedat honores,
Fontibus & ſacris expleat unda ſitim,
Fas erit æternas memorare nepotibus artes, Chriſti bñficia ĩ mortales ante mor tẽ ſuam.
Ante diem fati quas dedit ipſe Deus.
Millia multa fouet, cœli tot millibus orbem
Pandit, & ad uitam non inimica manus.
Ille ſui ut tandem compleret uota parentis,
Non timuit fati tela cruenta Deus.
Hæc mors uita fuit, fuit illud uincere mortem,
Et ſcelerum fraudes, & Phlegetontis aquas.
Vicerat in ligno, quum uicit, perfidus hoſtis, Chriſti victoria in ligno.
Has quoque per uires ille premendus erat.
Clauſerat horrenda uates in ualle uerendos,
Hæc rumpenda Dei funere uallis erat.
Quos fero in curſus menſis ſua limina pandit,
Ille mihi prima uoce canendus erat.
Septimus ille fuit, poſuit ſua nomina nondum,
Non tamen in numero ſeptimus ille uenit.
Cauſa quidem dicta eſt primis complexa calendis;
Vt doceat mentes illa legenda tibi eſt.
Dum legis, interea ſuperos in templa uocabo,
Et quos alma fides in noua iura uocat.
Ingens illud onus muſas & nomen Homeri
Quærit, & humana fortius illud ope eſt.
Si tamen audaces natura impleuerit annos,
Expediam quantum ponderis illud habet.

Primus



Primus iter cœli, cognataq; ſydera dicam, Poëtę p̃ces pro faſtis abſoluendis.
Primus & inuictis euehar altus equis.
Dij mihi, ſi qua fides, ſi uos in templa uocaui,
Qua licet, & quantum ſuſtinet alma fides.
Ad uos dum uenio, portas aperite dierum,
Vt quibus incepi curſibus annus eat.
Tu tamen in primis, quis enim te doctior uno? Pauli põt. max. laus.
Quem ſacrum nomen, lex quoq; ſacra iuuat.
Tu potes ad laudem totum conuertere mundum,
Tanta fides, dictis gratia tanta uenit.
Ipſe tibi inuideo, genitor clariſsime, quem non
Dira fames, quem non terruit ignis edax,
Si tibi crudeles mortis mandaſſet honores
Chriſtus, erant ſtabili cuncta premenda pede.
Da mihi diuorum faciles ad munera linguas,
Et doceas numeros quolibet ire pede.
Pande diem, roſeo lux emicat illa cruore,
Romano ante omnes illa probanda Ioue.
Hanc legit aßidue fratrum certamen, adorat,
Hos habet & teſtes, hos habet ille Deos.
His ducibus patriam, Romæq; tuetur honores,
Hic auget mores, & mala multa mouet.
Vendicat autumni primos uenientis honores
Egidius, menſis tempora ſolus habet. Egidij abbatis.
Ille, uigent tantum cœleſtia nomina terris,
Egidium ad magnum ſuſtulit ire Deum.
Hoc quoq; Pierides, & idem conceßit Apollo,
In cuius poſuit uertice templa Deus.

L Ille

Ille Deum præter cœleſtia pondera norat,
Ingenij quantum mundus uterq; parit.
Illa ingens uirtus, & gloria uera loquendi,
Quæ merito poſſet pondera ferre dedit.
Hæc utinam nobis cœleſtia dona darentur:
Proxima uel ſaltem quæ meruiſſe licet.
Inuida pauperies procul hinc diſcederet, una eſt
Quæ ſcelerum formas, quæ monumenta facit.
Bellum agitat crudele manu, crudelia quærit
Funera, cœleſtes in fera damna uocat.
Munere ſemper eget, uultus fœdata cruentos
In ſcelus omne ruit, nec timet illa Deum.
Iurat & æternos, ſuperum contemnit honores,
Noctibus illa nocet, nec minus illa die.
Quærit opes ſtupro, per fulmina mille, per hoſtes
Ibit, ut immundo pellat ab ore famem.
Cæde cruenta manus ſpoliat, uexatq;, trahitq;,
Et uerum falſo pendet ab ore nihil.
Vt primum nata eſt didicit ſcelus illa cruentum,
Et rapuit Stygijs perfida fulmen aquis.
Nondum maturas ſegetes in tecta reponit,
Iuſtitiam nullo tempore uicta timet.
Illa faces ſemper, pharetras meditatur & arcus,
Pallida ſemper inops, ſemper auara nocet.
Hoc decus, has laudes natos docet atq; nepotes,
Sæpe etiam ad fraudes morte premente uocat.
Has mandat leges, hæc dura nepotibus arma,
Vt ſemper noceat, ſemper & arma nocet.

Paupertatis illi⁹ a qua omne genus ſcelerum improbatio.

Inuidia



Inuida pauperies noſtro non carmine digna
Hinc abeas, ſunt quæ uel meliora canam.
Admonet ecce Deus, Deus æthere miſſus ab alto,
Currat ut in portus tuta carina ſuos.
Admonet ipſa dies fugiens uelocior Euro,
Extremam faſtis impoſuiſſe manum.
Et me fama premit tanto quæſita labore,
Quam uereor ſeclo non moriente mori.
Currite qua fas eſt, numeri, dum panditur axis,
Currite, deſcendit plurimus orbe Deus.
Tempora præcurrunt natales uirginis ortus,
Iam credunt plena currere in aſtra uia.
Quodq; magis uerũ eſt, ſpectant in uirgine Chriſtũ,
Et genus enumerant, quoue ſit orta loco.
Alma parens generis noſtri, ſpes una laborum,
Vna ſalus, per quam nil nocet ignis edax.
Idibus his uenias, neget hoc tuus ille Deorum
Conditor? ipſe tibi magna negare ſolet?
Ille tuis meritis aperit mortalibus axem,
Sæpius & uitam longius ire ſinit.
Nos precor à flammis, & nos in bella tuere,
Illa negant terris ſuſtinuiſſe caput.
Et quum fatalis terras conſumpſerit ardor,
Nos precor à tantis nos tueare malis.
Adrius aſſumit natalia ſecula, ſignat
Quum uenit à ſuperis ille cruore uias.
Gorgonius mira hunc ſequitur fœlicior aura,
Qui ſacro ad ſuperos ſanguine fecit iter.

Virginis Mariæ natalis.

Adriani mart.

Gorgonij mart.



Ille

Ille mihi fuerat maiori uoce canendus,
Et gaudet numeris hinc habuiſſe locum.
Quid tibi præcuram uoces? diuinaq́; facta?
Ille poteſt homines, ille mouere Deum.

Hortatio poëtæ ad terrena cõtemnenda.

SIC AGE, cœleſtes mortalia pectora curas
Voluite, poſt terras altera habenda domus.
NON hìc perpetuæ ſedes, non ſceptra, nec aurum,
Intereunt noſtri, morte ſequente, dies.
QVID furor ille animi? quid ſtẽmatis illa propago
Proderit? ante annos hauſerit una dies.
OMNIA mors æquo curſu domat, omnia uincit,
Quum uolet, inuictas exeret illa manus.
Magnus Alexander, totum qui protinus orbem
Vicerat, in cædes, in fera fata ruit.
Nec ſua Peliden defendit gloria, mater
Indoluit quali uulnere uictus erat.
Parthenopæus erat uirtute inſignis & armis,
Et dedit in cineres mortua membra ſuos.
Vna poteſt uirtus famam ſeruare cadentum,
Vna poteſt uiua conſuluiſſe fide.
Vna habet illa Deos, una eſt inuicta, per ignes,
Per medios hoſtes, morte ſequente, ruit.
Venditur ille puer fortunæ inuictus ab armis,
Euicit fraudes, mortis & omne genus.
Nil timet inuictus Samuelus triſtia fata,
Ezechias magnus nil fera fata timet.
Ille Deum Moſes, generisq́; animator, honeſti
Conditor, extremam nil putat eſſe diem.

Quid



Quid tibi commemorem diuinæ laudis honores?
In quibus & felix ipſe Iacobus erat.
Ille ſenex, poſtquàm Ioſephum moribus altis
Viderat, extimuit funeris arma nihil.
Mille tibi poſſem uates numerare canoros,
Qui nihil inuictam pertimuere necem.
Occurunt animo laudes, & nomen Homeri,
Quem cito præreptum funere fata dolent.
Ille ſuam patriam primus deduxit in arma,
Primus & inuicto rettulit arma pede.
Ille tibi debet uirtus, tibi præmia uitæ,
Inuictis reparas nomina noſtra rogis.
Salue magna Deûm proles, clariſſima uirtus,
Cuius in æterno pectore uita ſedet,

Virtutis cõmoda & præconia.

Tu facis æternum quicquid uirtute creatur,
A' terrisq́; homines in noua regna uocas.
Per te tot uates uiuunt ad ſecula mille,
Per te, quos numerent, non habuere dies.
Per te tot reges, tot ſanctæ pectora legis
Vincere fatales non timuere manus.
Salue magna Deûm proles, clariſſima uirtus,
Cuius in æterno pectore uita ſedet.

Themiſtocles, de quo Val. Max. lib. 5. cap. 6.

Atticus ille ſenex, patriæ dum regna tuetur,
Stultitia uicit funera & hoſtis opes.
Paladiæq́; urbis cœlum, qui pulſus, in urbem,
Ne faceret fraudes, dira uenena bibit.

Otriades de q̃ Val. Max. lib. 3. cap. 2.

Non loquar Otriaden, cuius ſpectata per enſes
Hoſtibus ereptam dextra redemit humum.



Poſt

Poſt fera bella ducum cladi fuit ille ſuperſtes,
Conſtituit tantis non ſupereſſe malis.
Vicimus, inſcripſit clypei moribundus in orbe,
Occubuit, patriæ ne moriantur opes.
Salue magna Deûm proles, clariſſima uirtus,
Cuius in æterno pectore uita ſedet.
Tu renouas quantum rapiunt ſibi ſecula mille,
Te duce ab Elyſijs uita reſurgit aquis.
Tu mihi perpetuum donaſti in ſecula nomen,
Dum Græco & patrio me ſinis ore loqui.
Tu mihi naſcenti uoces ad carmina mille
Concedis, numero nec ſinis ire graui.
Si tamen illud onus uellem non diua negares,
Credo, tibi tanta eſt gratia, tanta fides.
Sed precor exiguo canimus dum carmine menſes,
Et numeres annos, & data frena regas.
Sic potero tutus, ſic fœlix ire per aſtra,
Pauli pōt. max. laus.
Farneſi laudes dum mihi muſa parat.
Maior in hoc uirtus, & maius pondus in illo
Quæritur, hic paſſus grandior unus erit.
Ille Deus, poſtquam ſuperûm eſt ad iura uocatus,
Reſtituit cœlum, ſydera, templa, Deos.
Pompilios ſtatuit meliori currere paſſu,
Ne caderet tantis obruta terra malis.
Diſcite Veſtales ueterum ſeruare figuras,
Ille uiæ curſus ſemper habendus erat.

HIER



# HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

## LIBER NONVS.

PRIMA mihi teneros iuueni de=
duxit amores
Calliope, primas extulit illa fa=
ces.
Primus amor fuit illa mihi, nunc
ire per altum
Æthera, nunc terris altius ire iuuat.
SCILICET ipſa Venus, cæcæq; libidinis ardor,
Nil non terrenum, quod meditetur, habet.
Ille quidem infelix, Veneris qui primus habenas
Repperit, inq; illa credidit eſſe deum.
Omne nefas, ſcelus omne facit, deprenſa marito
In ſolem, & natos, dedecus ulta ſuum eſt.
Paſiphaen tauro iunxit, Circenq; coëgit,
Veneris ſcelera p̄ exēpla hiſtoriarū antiquarum.
Vt ſibi ſuccurrat, dira uenena ſequi.
Medeæq; manus auidas in funera fratris
Armauit, fugeret dum furibunda patrem.
Tu quoq;, ne ſuperes morienti Portia Bruto,
Ardentes flammas, & bibis ore faces.
Ille tibi nocuit, nocuit furor ille marito,
Aduerſos animis obtulit ille Deos.
NIL magis eſt dirum, quàm ſe priuare Deorum
Munere, & his numeris impoſuiſſe modum.

 VIVE

VIVE quid expectas? & rerum conſule ſummæ,
Sit pia libertas, & pia cura domus.
VT PATRIAE tuearis opes, te nulla laborum
Cura premat, flammas ne Mathelina ferat.
ARMATVM Cocles contra tot millia pectus
Oppoſuit, decus eſt ſic uoluiſſe mori.
ET DECVS eſſe reor, per auos, per ſecula mille
Currere, & à cœli ſede uocare Deos.
Hoc onus immenſum per mille pericula quæro,
Vt ſit ab æterna meta terenda rota.
Si mihi muſa dabis metæ percurrere fines,
Quo propero, laus eſt quanta futura tibi?
Incipe, tempus adeſt, aperit ſua limina menſis
Iam nonus, dextra quos habet ille deos.
Ille tibi Paulus menſes numerabit & annos, — Pauli pōt. max. laus.
Suſtulit ad ſuperos quem pia cura Deûm,
Sæpius indutus pallam ſquallentibus umbris,
Elyſia manes de regione uocat.
Sæpius indutus pallam fulgentibus umbris,
Quid ualeat ſummum concipit ante Deum.
Si uocat hic pluuias, pluuiæ cecidere repente,
Quum uolet expulſa eſt nube ſerena dies.
Imperat ille polo, quantum fert maximus ille,
Altius à terris erigit ille caput.
Deuouet irato crudelia pectora uultu,
Quoq; ualet miſeras ore tuetur opes.
Paule ſupreme parens, alio mihi carmine dignus,
Perlege quodcunq; eſt, dum meliora canam.

Qui



Qui nihil aduerſi timuiſti uerbera caſus,
Quem non læta ſibi fama nocere ſinit,
Æquore, ſi fas eſt, moueas mea uela ſiniſtro,
Et rabiem, uento quæ nocuiſſe ſolet.
Bis tibi ſex anni merito ſacrantur honores,
Vt ſit ab aſpectu pagina tuta tuo.
Incipe, pacatum duce te ſulcabimus æquor,
Quam dabis eſt illa lege canenda dies.
Incipe, fraterno maculantur ſanguine poſtes, — Sanctorū duodecim fratrū mart.
Inuictos cœlo quos dedit una dies.
Nec procul Ægidius ſpectatis moribus ardet, — Ægidij abbatis.
Altior inq; ſuis ille triumphat equis.
Vendicat autumni primos redeuntis honores
Ægidius, menſis tempora ſolus habet,
Solus habet palmam, deuictis hoſtibus, autor,
Quos fugias cultus, quosúe ſequaris habet.
Alter Anaxagoras magno uirtutis amore
Errauit, latam qua mare cingit humum.
Per Syrtes, Maleamq; audax, per mille Caribdas
Nauigat, & portu non caret ille ſuo.
ALMA parens uirtus, cuius de pectore fama — Virtutis laudes ac preconia.
Naſcitur, & uere non moriturus honos.
Tu ne tuis oculis potuiſti opponere noctes?
Montibus & montes impoſuiſſe tuis?
Vltima terra tibi domus eſt, & inhoſpita tellus,
At mihi non illud diua negabis iter.
Per freta ſi fugias, te per freta longa ſequemur,
Si terris, terra eſt tota terenda mihi.

L 5 Si fugias

Si fugias cœlo, tibi quod peperere labores,
Ipſe mihi pennas Dædalus arma dabit.
Hæc mihi firma fides, dum ſpiritus oſsibus hæret,
Nec ſine te cineri eſt fama futura meo.
An non illa dabis, quæ ſunt tua, candida uirtus?
Si tua, ſi colui numina rite dabis.
Tu mihi naſcenti promittis ſydera, uirtus,
Lyſiadas omnes tu legis omne Sophos.
Ipſe libens hylari tua ſemper pondera uultu
Suſtinui, duce te ſpes mihi maior erat.
Tu potes ad cœlum Stygijs emergere ab undis,
Nec ſine te uiuos credimus eſſe Deos.
Nil agit ad ſuperos ſine te clariſsima uirtus,
Spiritus ille Dei filius ille pater.
Te duce Phœbeos aditus; & temperat orbem,

Pauli pōt. max. laus.

Quæq; ferat Paulus te duce ſacra mouet.
Quo uelit orbe coli, quo munere gaudeat ille,
Qua mactanda manu uictima, quaq; die.

Thaletis opinio de creatione rerũ, quē ſecutꝰ vir. dixit, Oceanũq; patrē rerũ.

Nec tua diua potens mortalibus arma negaſti,
Ille Thales, duce te, quæ Deus, illa ſapit.
Æquore naturam deducit origine mira,
Si rerum cauſas res tamen una creat.

Heracliti opinio de creatione rerum.

Huic Heraclitus uires ſuperaddidit ignis,
Omnia compones, ſi duo iuncta tibi.

Hominis creatio ꝑ Prometeum ſecundũ poëtas

Natus ab Iapeto uires expertus inique,
Contulit in noſtrum cuncta elementa genus.
Clarior è terra deduxit imaginis umbras,
Spiritus at ſolis raptus ab igne fuit.

Cauca=



Caucaſeas paſſus uolucres noctesq; diesq;,
Iratum contra ſenſerat eſſe Deum.
Quæq; auro ſapiens dotes & pondera rerum
Præpoſuit, ſenſit quæ tibi quanta fides.

Virtutis preconia.

Senſit Anaxagoras, & qui bibit ore uenenum,
Quanta ſit in uultu numinis umbra tuo.
Tu nihil æternum, potes hoc mihi diua negare,
Non facis, in uultu eſt ignis & unda tuo.
Si genus humanum, ſi cuncta elementa fatiſcunt,
E natura tuo pectore uiua redit.
Ignibus in medijs, ſine te non nouerit Indus
Vnde ſit orta dies, unde ſit hora breuis.
Ad te confugiet uates Ægyptius ultro,
Spiritus hic quando ſorte mouendus erit.

Sine virtute oīa in peius ruere,

Proteus ignis erit, ſerpens tibi fiet & unda,
Falſa canet ſine te, te duce uera canet.
Amittetq; ſuas uires & numina Phœbus,
Et cadet imprudens natus ab arte ſua.
Pro cœlo Euclides terras ſignabit & æquor,
Pro terris, manes forſitan ille Deos.
Et ſua Pytagoras, & ſe damnauerit ultro,
Nec trahet in noſtras mortua membra faces.
Hectora uictorem in Danaos cantabit Homerus,
Raptaq; erit mulier, ſicut & ante fuit.
Nullus apud Troiam uictor pugnabit Achilles,
Nullus apud Thebas frater & hoſtis erit.
Funera Callimachus pro molli carmine dicet,
Aurea qui rapuit uellera, pauper erit.

Fleuerit

Fleuerit humanos caſus, Democritus alter
Ridebit, tellus quæ fuit, ignis erit.
In ſe concurrent elementa, ſuprema tenebit,
Pontus, at è ſuperis ignis in ima cadet.
Nox erit ipſa dies, in noctem flamma redibit,
Saturniq; petet luna ſerena locum.
Iuno erit in tenebris, Hecate moderabitur axem,
Iuppiter ad manes, Dis pater aſtra petet.
Frigidus ignis erit, tellus ardebit & unda,
Obrutus ad manes candibus axis erit.
Obruet unda Deos, Pharao ſeruabitur undis,
Pauper erit Crœſus, diues & Irus erit.
Impatiens Iobus, clarus pietate Lycaon,
Spiritus in cineres, in fera fata ruet.
Vt tua terrarum mundo, tua dona ſuperſint,
Da mihi diua, uales omnia, parua peto.
Aſpice me lacrymas fundentem pectore ab imo,
Ille dolor noſtri ſigna pudoris habet.
Siue ego uueniſſem Phœbes mactandus ad aras,
Ipſa mihi præſens diua dediſſet opem.
Siue ego digreſſus Stygias Phlegetontis ad undas,
Non erat infelix pœna timenda mihi.
Ad te conceßi ſupplex, paruumq; rogaui
Auxilium, miſero tu dare parua negas.
MAGNA potes, nec parua uelis, dare parua rogāti
Officium fidei uel pietatis erit.
Virtus dux poëtæ in hoc libro,
Exere mentis opes, tua ſunt, clarißima uirtus,
Quæ dederis tua ſunt, quæ mihi parua peto.

Si qua



Si qua tamen meliora negas, non diua negabis,
Quæ dederas olim ducere ab axe Deos.
Forſitan illud onus non parua laude ſequemur,
Pondera ſunt uirtus illa ferenda mihi.
Tu memor officij precor hoc quandoque iuuabis,
Non ſine te uirtus hoc mihi fama dabit.
Te duce ſum uatis nomen famamq; ſecutus,
Effice ne pereat quæ mihi fama data eſt.
Iam procul à portu diſcedimus, æquoris undas
Temperat ipſe ſuo qui uenit igne Deus.
Illa ſecunda dies, ſi tertia ſurget Olympo,
Quæ cupis auſpicij non dare ſigna poteſt.
Altera præcedens nonas numerabitur axe, Diui Auguſtini octaua.
Clauſus erit nonis menſis & ipſa dies.
QVO fugis? in medio non eſt ſecurior unda,
Si maris inſtabis littora tutus eris.
Quæris iter, tamen unda negat, ne deſere terras,
Adrius excipiat dum tua uela manu. Adriani mart.
Si dabit ille uiam, poteris ſecurior ire,
Ille uenit, noſti, uenerat unde Deus.
Curre, licet uelis totum tibi nauigat æquor,
Nec timeas cœlo quæ modo templa uides.
Illa parens colit illa Deum, quæ uentris ab aluo
Fuderat illæſa uirginitate Deum.
Hîc genitrix, hîc uirgo Dea eſt, hîc tendit in auras, Virginis Marignatalis.
Matris ab effuſo funditur illa ſinu.
Carmine nonne audis & plenum uocibus orbem?
Vnde habeat ſeriem uox canit illa tibi.

Dauidem

Dauidem numerat, uates tibi mille recenſet,
Et cur concepit dicet, & unde, Deum.
Vox eſt illa tibi tota ſed mente ſequenda,
Illa quidem, ſenſi numen habere ſolet.
An non illa putes, Deus eſt qui uiuit in illa,
Ille ſuam matrem qua pietate colit.
Illa docet quanta ſerues pietate parentes,
En ſilet ad uoces uentus & unda maris.
Illa quidem uirga eſt multos prædicta per annos,
Per quam cœleſtis flos & alendus erat.
Spiritus ille Dei uirga requieſcet in illa,
Cui dabitur magni dextra regenda Dei.
Illic perpetuos cœli moderabitur axes,
Inq; domo magni rex erit ille patris.
Naſcere uirga potens, & florem concipe uirga,
Floreat auſpicijs terra inarata tuis.
Floſculus ille tuus, per quem tu uirga crearis,
Exeat, & terras, quæ periere, iuuet.
Exeat, orat opem Stygijs ſummerſus in undis,
Ille patrum princeps, Dauid & ille bonus.
Gorgonij mart. Gorgonius magnam orat opem ſanctiſſimus ille,
Ille iterum terras in Chaos ire uidet.
Vt iuuet in cædes, in funera proruit ille,
Neſcia quem ſequitur funeris una dies.
Pectore lumen habet, ſolis moderatur habenas,
Et ſacranda manu candida templa gerit.
Pauli pōt. max. laus. Marmore conſtituet Paulus, ueluti aureus ille eſt,
Aurea componet limina, templa, gradus.
Forſitan



Forſitan & magni uincet Solomonis honores,
Excipiet Parij marmoris ara Deos.
Illic delecti uates oracula ſoluent,
Et fidei uires, & ſua iura dabunt.
Illic aerij cantus ſublime ſequentur,
Orpheus hîc uates, hîc & Apollo canet.
Illic Barthenius totum reſerabit Olympum,
Exeret & nunquam quæ patuere mihi.
Alma fides illic non intellecta patebit,
Et Dea Maieſtas, ara Deiq; potens.
An mundum regat ipſe Deus, quem ſuſtulit ille,
An ſit apud manes ira timenda Dei.
An pietas diuina animas creat ore potenti,
Secula quot nobis, quos dedit ille dies.
Vis ne tibi recitem cœlo quod panditur alto? Fidei deſcriptio.
Prima fides, quanta eſt, illa canenda mihi.
Naſcitur illa Dei diuino à uertice, flammas
Ore gerit, flammas, pectore tota Dea eſt.
Hanc omnes populi late comitantur euntem,
In dextra liber eſt, ſi liber ille tamen.
Ille Deos omnes, cœliq; amplectitur aras,
Continet ille tuos Chriſte benigne dies.
Quæ te cauſa prior cœlo deduxit ab alto,
Quæ pia ſit uirgo, quæ paritura Deos.
Gloria quanta tua eſt, ſub quo uelamine terras
Incolis, & quare non fera fata negas.
Illa tui genitor pietas notiſſima cœlo
Humanum erexit per loca ſumma genus.
Hîc re=

*Hîc rerum ſeries de te componitur omnis,*
*Abſtruſæ, ut fas eſt, res & imago latent.*
*Hîc male concurrunt uates, quos Atticus orbis*
*Enumerat, de te non habuere Sophos.*
*Ille Thales ſenior per cœlum & ſigna cucurrit,*
*Ad tua Chriſte potens munera nullus erat.*
*Magnus Ariſtoteles ſapientum pandit honores,*
*Ad te diuinus non fuit ille tamen.*
*Credidit eſſe tamen quæ conderet omnia cauſam,*
*Hanc Phœbi medijs ille canebat aquis.*
*Illic quid facias, quantum mediteris abunde eſt,*
*Quàm ſit iudicijs pœna timenda tuis.*
*An cœlo damnandus opes mereatur in alto,*
*Num lectum cœlo uita beata iuuet.*
*An Stygias iterum tibi fas deſcendere ad undas,*
*An flammis tellus ſit rapienda tuis.*
*An tibi ſit rapidi minuenda licentia ponti,*
*Num nimium poßint horrida tela necis.*
*Quis ſit ab his terris cœlo ſacrandus in alto,*
*An uelit ad leges currere Turca tuas.*

Pauli pōt. max. laus.

*An ualeat raptum Paulus reſerare ſepulchrum,*
*An bene Romanas temperet altus opes.*
*Plura latent, ſed quæ primo celantur in orbe,*
*Accipe, ſi fas eſt, illa patere ſolent.*
*Illud confiteor ſemper, ſemperq; fatebor,*
*A cœlo uenient quod docet alma fides.*

Explanatio Symboli apoſtolici.

*Credo patrem ſummum, uerbo qui cuncta creauit,*
*Credo Deum natum de genitore Deo.*

*Credo*



*Credo, fides uera eſt, magnos & flaminis ignes,*
*Tres numero, tamen eſt unus in igne Deus.*
*Credo patris genitum uelatum carne tuliſſe,*
*Inſidias pro me, uerbera, tela necem.*
*Credo reſurgentem deuicta morte ſedere,*
*Qua micat æterni dextra timenda patris.*
*Credo recenſentem uitas & crimina cœlo,*
*Quum terram in cineres hauſerit ignis edax.*
*Sanctorum patrum ſenſus, & numen, & aras,*
*Credo nefas illa, uel pietate mori.*
*Credo bonis animis reſerata palatia cœli,*
*Credo malos omnes Tartara ad ima trahi.*
*Hæc mea magna fides cœli reſerauerit axem,*
*Quæ ſeries cœlo gloria quanta micat.*
*Quid ſit & ille Deus, quanto moueatur honore,*
*Quo uultu terras, qua ratione regat.*
*Trinus an immenſi regat orbis an unus habenas,*
*Vnus & ille quidem, trinus & ille quidem.*
*Vnius ingenio totus ſpectatur Olympus,*
*Vnum cuncta iuuant, quæ creat ille Deus.*
*Ara ingens illic ſuperos numerauerit omnes,*
*Quos Deus à terris ſuſtulit igne ſuo.*

Nicolai e Tollentino conf.

*Primus Nicoleos Prothi quem fata ſequuntur,*
*Et comes horrenda raptus uterq; manu eſt.*

Prothi, et Iacinti mart.

*Idibus extremis laudes uidet una futuras,*
*Et laudem uere quam mereatur habet.*

Exaltatio crucis

*Illa crucem inuentam cœli uidet ire per axes,*
*Tollereq; à terris ad loca ſumma caput.*

M *Iam*

Iam ſatis illa micat, uires ad præmia deſunt,
Carmine non fiet notior illa meo.
Hic hic Mœonides, & ſi quis maior Homero,
Quæritur, Herculeis uiribus illud onus.
Spectaclum de ſe Nicomedes poſtulat altum, Nicomedis mart. Luciæ, Eufemiæ, & Geminiani mart.
Luciaq; in uidua morte ſoluta domo eſt.
Lucia lucidior cœlo, atq; Euſemia magni
Nominis atq; boni quod canit ore graui.
Alterius quid fata loquar? cognoſcit honores,
Cognoſcit Mutina, & qualis & unde Deus.
Sæpius experta eſt uires & numen amicum,
Quum quateret ſenſus dæmonis umbra nocens.
Sæpius ille ferox animis felicibus ultor
Incubat, & mentem nocte dieq; premit.
Sæpius incumbit gladio, mortemq; minatur,
Sæpius & Chriſto non renuente necat.
Ille quidem tantas uires expertus inique,
Quem Chriſti iuſſu ſtrangulat umbra nocens.
Ille Gomorreo ſuffuſus membra ueneno,
Non alia infelix cæde necandus erat.
Criminis omne genus, Venerem commiſerat omnem,
Sæpius inq; ſuum mouerat arma caput.
At pater omnipotens tandem fera fulmina miſit,
Arbitrium Stygijs manibus ille dedit.
Ecce ferox triſti pueri inſidiatur amore,
Ille fugit, ſequitur quo magis ille fugit.
Dis pater inuentas fraudes, & corpora ſumit,
Fit uolucris, uolucrem concupit ipſe puer.

Confu-



Confugit ad uolucrem, pueri ut potiatur amore
Dis pater, occulte per fera membra uenit.
Hunc agitat per membra furens, hunc uerberat uſq;,
Ducitur ante aras, nil iuuat ara Dei.
Prædixit ueros ueri Simeonis honores,
Et perdenda ſua tam fera membra manu.
Dixit, & egreditur per mortua membra nefandi.
Dis pater, infernas ille petebat opes.
Hoc genus inuiſum Paulus depellit ab orbe, Pauli pôt. max.
Nec ſinit à Stygijs manibus ire Deus.
Curat uterq; Deus terras purgare iacentes,
Vt pateat cœlum liberiore uia.
His ducibus gaudet tali Franciſcus & dura, Stymata S. Franciſci.
Et ſua ne taceam ſtigmata quinq; mouet.
Plurima ſigna dabat diuini numinis ille,
Obtuleratq; illi ſe Deus ille Deûm.
Non linguam ſolum uatum conceſſit honores,
Sæpius ut uates uera locutus erat.
Hoc quoq; uel maius meruit quia numen in illo
Vulnera quæ Chriſtus ſenſerat ipſe, pati.
Nox erat, aërio ſuffuſus numine uultum,
Dixerat ad ſummum myſtica uerba Deum.
Ecce micat cœlum, deſcendit ab æthere Chriſtus,
Inq; manus ſacras funditur, inq; pedes.
Hoc decus, hoc ingens æuo redeunte manebit,
Illa renaſcentis ſunt bona ſigna Dei.
Libra dies æquo diſcriminat ordine nocte, Sol in Libra.
Per mediam ueniunt, ſuſpice ſolis equi.

M 2 Si bene

Si bene dinumeres, totus tibi labitur annus,
Et parit Autumnus uina Falerna tibi.
Nulla tibi nocuit tempeſtas, nulla pruina,
Nec tibi Barbara gens dum fera bella gerit.

Decimas frugũ Deo offerẽdas ex lege in autumno.

Sis memor & ueterum laudes, & iura ſequare,
Elige quæ ſuperis optima uina feras.
Scilicet in cœlo gaudent hoc munere, ad aras
Sæpius & ueniunt in noua uota Dei.
Conſpicit Æthiopas ab utroq; lumine Phœbi
Libantes ſacris annua dona Deus.
Hos adit, atq; hilari ſpectat conuiuia uultu,
Torrida ne noceant tempora ſolus agit.
Ille fugat nimios (tanta eſt præſentia) ſoles,
Ille dat & ſegeti, uitibus ille manum.
Ille etiam ſacro diffuſus nectare uultum,
Vt pariat gemmas annua terra iubet.
CREDE mihi, uoti memor eſt, & fulminis ignes
Continet, oblatum ſi uidet eſſe decus.
Quum matura fluunt toto tibi uina liquore,
Vina dabis, non ſunt illa neganda ſibi.
Tu dabis ad uotum, cui ſurgunt undiq; gemmæ,
Tu dabis inprimis quem iuuat alma Ceres,
Tu dabis o coniunx uero detentus amore,
Exitium pariat ne tibi falſus amor.

Infelicitas viri malã ſortiti fœminam.

Infelix quicunq; malos expertus amores,
Luce gemit cuſtos, & male nocte gemit.
Occidit ante annos uiridi conſumptus in æuo,
Nec quid conſtituat poſt ſua fata uidet.

Degeneres



Degeneres pueros, inimicaq; pectora nutrit,
Hos habet hæredes funeris ille ſui.
Degeneres animi perdunt patriamq; domumq;,
Pro patrijs raro mœnibus arma gerunt,
Quæ bona ſunt patriæ nullo certamine uendunt,
In patriæ iurant perfida tela Deos.
Quæ paris o coniunx caſto bene nupta marito,
Ne thalamos uioles, ſanctaq; iura thori.
Tu dabis o uirgo facibus iam digna mariti,
Ne uiolet caſtos perfidus ille thoros.
Labitur in Venerem, ſed falſo errore iuuentæ,
Ille ſibi caſta uoce tenendus erit.
Tu dabis annorum ſeriem, qui laberis ultra,
Quiq; uides uitæ proxima buſta tuæ,
Si puer ætatis memor es, tua uota dicabis,
Incipies uitæ quum numerare dies.
Tu quoq;, quem menſes anniq; ſequuntur euntem,
Vltima ſi properas tempora noſce tibi.
Hoc tibi labentes decus aſſeruauerit annos,
Nec minus in bellis quàm data tela iuuant.
Omne genus Chriſtus, uitæq; expoſcit honorem,
Illi quæ dederis non ſine laude dabis.
Non fuit in ſuperos Solomon ingratus, in altum
Suſtulit æterno maxima templa Deo.
Ex auro aligeri iuuenes, ex ære columnæ,
Et maris undoſi littora quanta uides.
Littora littoribus, piſces diſcreuerat undis
Docta manus, nantes fecerat illa Deos.

 Ara

Ara ingens ex ære, ſacris ſed commoda rebus,
Aurea menſa fuit non minus apta Deis.
Ille Deûm uere magni inſtaurator honoris
Obtulit immenſas ad noua templa dapes,
Hinc non immerito æternas promiſit habenas
Ipſe Deus, generi regna beata dedit.
Ipſe nec Herodes miſeris frumenta negauit,
Sunt quibus & lucos & fora grata dedit.
Quum ſol extremos anni properabit ad orbes,
Thura feras, illa eſt non ſine luce dies.
Quumq; renaſcentem curru luſtrauerit annum,
Inſtitues moneant quæpia thura Deos.
NVLLA dies ſine thure tibi, ſine uoce canēda eſt,
Vltima ſacra tibi eſt, & tibi prima dies.
Victoris; et Coronę mart. Hunc age quæ menſem maneant libamina dicam,
Victori quoniam digna corona datur.
Octaua S. Nicolai e Tolentino. Aſpice Nicoleon, celebres agit ille triumphos,
Et uocat emeritos in ſua dona dies.
Sydera fronte micant, medio ſol pectore fulget,
Hæc, fateor, ueri ſigna fuere Dei.
Ille futurus erat rector, Deus ille futurus,
Ille iuuat pueros, & iuuat ille ſenes.
Templa aperit, moto ſonuerunt cardine poſtes,
An dubitas? aperit limina, ſolue metum,
Nec negat ille diem ſocijs, quos ara notauit
Euſtachij & ſociorũ mart. Euſtachius, prima cernitur ire uia.
Dux eſt ille gerens deuictæ inſignia mortis,
Aſpice quo uultu, quo micet ore Deus.

Dum



Dum redit, emeritos deuictæ mortis honores
Narrat, & exponit ſe timuiſſe nihil.
Narrat ut inferni ſuperauerit arma tyranni,
Inſidias, ueneres, gaudia, furta, dolos.
Narrat pro merito cunctis ſua præmia ferri,
Quam doleat noſtris & Deus ipſe malis.
Per cœlum & terras currus agit ille ſonantes,
Nec Deus hæc illi præmia magna dedit.
Sic Romana fides in cœlum ſuſtulit illos,
Qui nihil ardentes extimuere focos.
Qui bene dum patriam ſeruarent fortibus armis,
Hoſtibus ereptum ſurripuere decus.
Caio conceſſit ſpectatæ laudis honores,
Punica quod ſolus fregerit arma mari.
Quanta fides potuit ſeruatus uiuere Romæ M. Attilij reguli fides Val. Max, lib. 1, cap, 1.
Attilius, famæ nec nocuiſſet inops.
Conuocat ore patres, cur uenerit edocet ille,
Et data ab hoſtili dira uenena manu.
Captiuosq; negat mutandos, deſerit urbis
Mœnia, mens hoſti cognita regis erat.
Hunc fera Carthago uigilantem preſſit acerbe,
Vltus ad infernas ille petebat aquas.
Barbara gens longe crudelia pectora fecit,
Fecit Romanos hoſtibus eſſe feros.
Sic Deus ille Deûm quamuis tonet ille ſerenus,
Diſcit ab irato pectore tela ſequi.
Non foret iratus magni regnator Olympi,
In cauſas iræ ni tua facta uocent.

 Iraſci

Iraſci potuit cœlo uix pulſus ab alto,
Poſceret Enceladus quum ſibi regna Deûm.
Curre, quid expectas? non eſt mora libera, cœlum
Panditur, & multo fulget honore dies.
Matthæi apoſtoli. Hanc Matthæus habet, noctem tibi diuidit æquam,
Quæq; dabit nocti tempora, lucis erunt.
Æquinoctium autumnale. Temperat ille dies, noctes tibi temperat æquas,
Et iubet ex ima mergere ſemen humo.
Aſpice terra micat, uirides agit ille receſſus,
Et gaudet medio tempore feſta coli.
Ille Deo miſſus docuit tua funera Chriſte,
Ille triumphantis mortua membra Dei.
Per populos errat, lateq; uagatur ad urbes,
Æthiopum reges ad noua iura uocat.
Mauritij & ſociorũ mart. Qui ſequitur ſpectas? ſpectari gaudet & ille,
Et iubet ut ſocijs quæ gerit arma feras.
Lini pōt. max. & mart. Miles adeſt Linus ingenti mihi uoce canendus,
Italus Auſonijs naſcitur ille iugis,
Per tria luſtra potens Ramanam rexerat urbem,
Atq; uni totus deditus orbis erat.
Illa tamen uirtus uirtute regenda Deorum
Non potuit latas exeruiſſe manus.
Illa nocet peſtis, quæ late infecerat orbem,
DIRA fides, quantum pullulat herba nocens.
Vnde ſit orta fides, totus perſenſerat orbis,
Ille ſed antiquis legibus ibat inops.
Quodq; magis ſæuum eſt, reges in falſa ruebant
Numina, mandabant numina falſa coli.

Impius



Impius Æneades crudelia bella gerebat,
Ille, fides tanta eſt, ſydera morte petit.
Inſtituit uelata parens ad templa ueniret,
Auxerat & merito pontificale decus.
Nec tantum mores regis potuere Sabini,
Qui fera molliuit pectora lege Deûm.
Magna ſuis populis Minos conceſſerat ultro,
Si conferre uelis illa, minora dabo.
Qui ſit, & unde furor, quæ perfida tela gerantur, Teclæ virgin. & mart.
Aſpicio, eſt funus, funere læta Dea eſt.
Funere lætatur ſuperato funere uirgo,
Nec minus inuicto pectore læta Dea eſt.
Quæ tibi uenturis numeratur ſexta calendis,
Sacra uetat, dirum nec tamen omen habet.
Si tamen aſpicies, referet tibi funera Titan,
Quæ Iudæa tibi Romulus ipſe dedit.
Cogeris inſanas armare in bella cohortes,
Cogeris & fati ſuſtinuiſſe minas.
Ah quantum nocuere tibi crudelia bella,
In proprios fœtus, in tua fata ruis.
Illa quidem clades Chriſto moriente redibat,
Tu tamen in ſacrum dirigis arma caput.
Sæpius admonui leges, & legis honorem,
Tu tamen incurſu curris iniqua tuo.
Dic mihi, num uates, num credis uera locutos?
In me nullus erit, qui fera tela gerat.
Omnes concurrent ad me, uotumq; ſequentur,
Ille tuus uates, dic age, quantus erat?



Talia

Talia qui uero uerus diffudit ab ore,
Si memini gentis pondera quanta tuæ.
Excidet imperium nunquam de ſanguine Iudæ,
Donec eat cœlo quem Deus ipſe uelit.
Imperij uires, & dux de ſanguine Iudæ
Excidit, à cœlo nec ſinis ire Deum.
Perfida turba taces, iam te tua tela necarunt,
Si quid habes, dicas, nil tua iura nego.
Diſputat cũ Iudæis de fide. Hoc ſat erit uinci, potes an mea iura negare?
Plenior ad partes it mea fama ſuas.
Ille tuus Moſes uiuos è marmore fontes
Duxit, & ad cædes tu tamen apta ducis.
Electus quondam fueras, nunc rector Olympi,
Quo te ſummergat iuſtus in igne uidet.
Dum licet & fas eſt, redeas ad ſancta Deorum
Numina, te expectat rex Deus ille Deûm.
Nonne uides quanta pro te pietate mouetur?
Ille tibi oſtendit uulnera quinque Deus.
Vulnera quinq; colas, quæ tu male ſana dediſti,
Sin aliter nulla eſt uita futura tibi.
Exere turbato ſi quid modo concipis ore,
Hoc canis ore ferox, ſunt mihi iura Dei.
Sunt tibi iura Dei, fateor, uiolare putamus
Eſſe nefas, uiolas tu tua ſacra malus.
Sed licet obſerues, tua lex elabitur alta,
Noſtra, licet uioles, non tamen illa redit.
Illa manet, tantumq; æuo redeunte manebit,
Quantum qui fecit ſydera iuris habet.

Adde



Adde quòd in cineres quamuis elementa ferantur,
Non tamen emoriens uel moritura cadet.
Cypriani & Iuſtinæ mart. Illa quidem uera renouatur imagine diuûm,
Iuſtinæ taceas ne ſua iura iubet.
Illa nihil timuit Lethæi tela tyranni,
Coſmæ & Damiani mart: Huius habet Coſmas & Damianus opes.
Nouit uterque omnes qualis Podalirius herbas,
Fluctibus à pelagi tutus uterque fuit.
Cumq; iterum capi flamma peterentur & igni,
Amiſit uires conſcia flamma ſuas.
Mira canam, munusq; Dei uirtute fatebor,
Quo donati ambo uir mulierq; ſimul.
Maximus Elzearis uirtute inſignis ab omni,
Et Delphina Deûm non ſine iure potens.
Mutua uirgineo celebrarunt iura pudore,
Legitimi lecti caſtus uterque fuit.
Hoc decus egregium uitæ moresq; beatos,
Chriſtus ad extremos tradidit ipſe dies.
Elzearij cõfeſſoris Delphinæ vxoris S. Elzearij. Maximus Elzearis morti iam proximus inquit,
Coniugis auxilio uir malus ecce micat.
Quid referam quantus teneris uiuebat ab annis?
Vera erat & uirtus; uera & imago Dei.
Factus uterque Deus cœlo imperat altus aperto,
In thalamos errant uirginis inq; ſinus.
Mutua diuina depromunt carmina uoce,
Et ſe laudari tempus in omne iubent.
Et iuuat in cœlo laudes ſpectare Deorum,
Et conferre iuuat quæ ſua magna uident.

I nunc

I nunc, iura neges, ſpectataq; ſydera cœli,
Nullaq; pro meritis præmia digna dari.
Scilicet hoc unum eſt, animæ ſua dona negare,
Credere ab æterna non bene facta manu.
Scilicet hoc unum eſt, diuinaq; corda mouere,
Et nihil æternum quod Deus ipſe facit.
Scilicet hoc unum eſt, uires dextramq; Deorum
Fallere, quod ſenſit Pythagoræa manus.
Vnde tibi hic ſenſus? animis, at ſpiritus unde eſt?
Nempe Deo, quare facta Dei ergo negas?
Stulte quidem cœlum cœli metiris & umbras,
Nec quæ ſint cœlo numina quanta uides.
Quis rudis uſque adeo eſt, qui non, ut uiderit aſtra,
Condita ab æterna ſentiat eſſe manu?
Quis rudis uſque adeo eſt, qui non fateatur ab illa,
Condita quæ fuerant ſydera mente regi?
Monte ſub aërio uenerabilis ara uidetur,
Cœleſtes alte ſuſtinet illa manus.
Michaëlis dedicatio.
Hanc ſibi diuino Michaëlus iure ſacrauit,
Æthereas acies in ſua iura tenet.
Ille locum late aſpectans, huc errat & illuc,
Fundamenta locat, quæ uelit orbe coli.
Conuocat æthereas acies à limine cœli,
Et iubet excindi marmora, feruet opus.
Marmora dura ferunt alij, quæ poſtibus altis
Aptentur, ſecat hic marmora, at ille trabes.
Conſonat omne nemus, non ſic incudibus Ætna
Perſtrepit, ignipotens quum facit arma Ioui.

Protinus



Protinus aſſurgunt facti miro ordine poſtes,
Templaq; ſydereo non minus apta Deo.
Ipſe manu propria cœlum fulgentibus aſtris
Implet, & æterno quo uiget igne docet.
Ædibus in medijs cœli ſubtexitur axis,
Metiturq; ſuas aliger ipſe domos.
Illic diſponit cœlum cœliq; cacumen,
Illic prima ſui temporis acta canit.
Vltimus ille ſacros Hieronymus implet honores,
Quo ſine nuda fides ipſa futura fuit.
Hieronymi pſbyteri, et doctoris.
Errabat paſſis nullo cuſtode capillis,
Altius ad cœlum ſuſtulit ille caput.
Induit aërios ſenſus, cœleſtia ſumpſit
Pectora, mortales exuit ille uias.
Errat nuda Venus paſſis diſcincta capillis,
Errat Amor, pharetras non habet ille ſuas.
Induit ille puer ſapientum maximus annos,
Perdidicit ſolus gloria quanta polo eſt.
Hauſit Anaxagoras, totos bibit ore Platones,
Lyſiadas omnes, Mæoniumq; Sophos.
Romanos hauſit latices de fontibus altis,
Nullaq; in excelſo pectore menda fuit.
Hebræos latices hauſit de fontibus imis,
Non tacuit qua ui conditus orbis erat.
Principio docuit terras, maria omnia, cœlum,
Accepiſſe ſuos per ſtata ſigna locos.
Hic poſuit cœlum, hic terras, hic æquoris undas,
Ornauitq; ſuis ſydera cuncta notis.

Ille

Ille nemus ſacrum ſacro ueneratus honore eſt,
Exegit caſtos hic Deus ille dies.
Illic ſydereos mores meditatus abunde eſt,
Illic cognouit nox erat, unde dies.
Viue pater cœlo, cœli tibi pandit habenas
Rex cœli, ex alto cernitur ille loco.
Exue mortales habitus, tibi parta corona eſt,
Quæ radijs alte uelat utrunque diem.
Et mihi, ſi mereor, tua ſunt quæ maxime uates
Munera concedas, hæc mihi cura fuit.
Pomifer Autumnus donec labentibus annis
Effugit, & menſi eſt te duce clauſa dies.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

## LIBER DECIMVS.

Fides dux poëtæ in hoc libro.

ALMA Fides uere gremio delapſa tonantis,
Qua ſine diuinum temperat ille nihil,
Huc ades, ecce anni laudem tibi credimus omnem,
Falſa Deûm uultu ſit procul umbra tuo.
Perfidia illa omnem quæ late immerſerat orbem,
Numine diua tuo eſt tota premenda mihi.
Incipe, pacatum duce te ſulcabimus æquor,
Exigit hoc menſis munus iterq; ſibi.

Ille ho-



Ille hominum genitor, ſeries immenſa nepotum,
Primus iter ſceleri funeribusq; dedit.
Secula mutauit cœlo, quæ maximus alto,
Aurea condiderat non ſine luce Deus.
Protinus Alecto Stygijs emerſerat undis,
Et dolus, & fraudes, & ſimulatus amor,
Et uariæ mortis ſpecies, & falſa Deorum
Relligio, in media luce adoperta caput.
Et Iouis & ſuperûm matrem coluere potentes
Dardanidæ, & tellus Gnoſia templa dedit.
Iunonem Argiui, cœli ſublata ſub axem
Eſt Venus, Actæis ſacra Minerua iugis.
Et Solymi uanæ gentes coluere iuuencum,
Et fuit ad Pharios numinis herba loco.
Hinc reſponſa dabant ſimulata mente locuti,
Non bene quos fecit mundus uterque Deos.
Quum ſemel à Gallis Capitolia tuta fuiſſent,
Hæc ſeruata Iouis credidit eſſe manu.
Ingens ara Dei cœlo ſine thure iacebat,
Condiderat tantas non Deus unus opes.
Tunc Deus æthereas morienti clauſerat arces,
Non fuit ad ſuperos illa recepta fides.
Et bene quid Iuno, quid Palladis arma ualebant?
Quid Venus, aut Cybele, quid Iouis umbra fuit?
Almaq; Venus, ſi qua eſt, furtis gaudebat, & illis
Præfuit, hæc pietas tam fera templa dabat.
Ecquis adulterium neſcit Iouis? ille docebat
Virginibus flores & decus omne rapi.

Damnat errorẽ gẽtilium de ſuo Ioue adultero.

Abſce-

Ah ſcelus, ah cæcæ, mortalia pectora, mentes,
Hæc fuerat ueſtri gloria quanta Iouis.
Hunc coluiſſe iuuat, iuuat hunc dixiſſe parentem
Humani generis, proh ſcelus unde abijt.
Vnde abijt uirtus? calor unde receßit? in illo
Qua maris unda ſonat, uictus uterque polus.
Ille calor potuit radios cognoſcere ſolis,
Et numen flammis, & dare numen aquæ.
Ille calor potuit totos haurire Platones,
Quicquid Anaxagoræ diſſerit alta manus.
Concidit ad magni patris altum ſydus & auras,
Atque hic permiſit ſe ſine luce trahi.
Nanq; Deûm genitor non ſe permiſit habendum
Tam cito, uera fides occuluitq; caput.
Quæ cœlo exoriens, cœlo dum pugnat aperto,
In falſas ſectas bella cruenta mouet.
Occumbunt pariter falſæ pietatis honores,
Marmore de Pario diruta templa cadunt.
Nota quidem fateor, uix terras nata petebat,
Extimuere ſuam numina falſa diem.
Ter conata fuit telis concurrere uirgo,
Ter falſas ſectas uidit abeſſe procul.
Territus in denſas conceßit Iuppiter umbras,
Fulmina nil illi, nil ualuere faces.
Et quicunque Deûm falſos ſimularat honores,
Proxima Tantaleis regna petebat aquis.
Illic pro meritis data ſunt ſua præmia, uiuit
Alma fides, terris dignior illa fuit.

Iam



Iam purgatus erat terrarum maximus orbis,
Nullaq; erat peſtis, nulla timenda lues
Tunc Deus ire iubet natum, deſcendit ab alto
Filius, æterni gloria uera patris.

Breuiſſima Chriſti vita. Cõpẽdioſiſſima totius vitæ Chriſti deſcriptio.

Induit ille hominem, nec ſe priuauit honore,
Protinus enatum mundus uterq; timet.
Stella Dei cœlo reges ducebat Eoos,
Qua micat ætherei gloria uera patris.

Stella apparet Magis.

Extimet Herodes, poſtquam fatalia ſenſit
Numina, per ferrum, per fera tela ruit.
Eripit infelix materno pectore natos,
At Pharias Chriſtus nocte petebat opes.

Herodes occidit pueros.

Quid furis Herodes? non fas tibi uincere fata,
Non hæc perpetuo eſt terra tenenda tibi.

In Herodẽ poëtæ inuectio.

Illic diuina uirtute peregerat annos
Chriſtus, & incepit qua ualet ire uia.
Protinus in turba medius cœtuq; uirorum
Diſſerit, unde Deus, quæue ſit alma fides.
Tantaq; diuinis exit facundia uerbis,
Vt ſe ſe qualis profiteretur erat.
Diſcutit undarum moles, & nauigat alto,
Non intellectos explicat ille ſinus.
Mutat aquas, elementa mouet, cœlo imperat unus,
Vnus iuſtitiam temperat, unus habet.
Euocat & manes tumulis, fato imperat unus,
Corpora, quæ fuerant morte ſoluta, nouat.
Nil agit ille Deus, niſi quod ſpectaret ad illum,
Siue homines agitat, ſeu mouet ille Deos.

N Adde

Adde quòd infernas moriens penetrauit ad urbes,
Et rapuit medijs hoſtibus ille patres.
Chrĩ reſurrectio, Tertia ſurgentem tumulo lux uiderat illum,
Nunc ſedet æterni qua micat ara patris.
Chrs inſtituit ſacramẽtũ. Iuſtitiæ inſtituit magnos moriturus honores,
Et ſua teſtatus funera dira fuit.
Inſtituit ſacrum corpus cum ſanguine ſacro,
Et ſe potandum per ſua ſacra dedit.
Qui bibit iniuſte, dirum bibit ille uenenum,
Qui non iniuſte nil fera fata timet.
Nil timet aduerſos caſus, nocituraq; tela,
Ille quidem portus, & ſine naue, petet.
Altior ad ſuperos ſublatus & ora parentis
Edocet in cœlo quæ monumenta iuuent.
Et ſe ſe oſtendit laceratum corpore toto,
Qualis erat ſubijt, quum fera fata crucis.
Vincula quum Petrus, Romanaq; iura timeret,
Occurrens illi uincula ferre iubet.
Sæpius ille homines merſos à funere tollit,
Sæpius & medicas admouet ille manus.
Brachia lata uides, & dextri uulneris orbem,
Aſpicis & uarijs corpora cæſa notis.
Et caput, atque oculos, uultuſq; in morte cadentes,
Conueniunt uitæ funera tanta tuæ.
Seruari poteras nunquam ſine funere Chriſti,
Hæc mors mortales ſuſtulit una uias.
Nil timeas mortem, Chriſto moriente redempta eſt
Vita tibi, uitam ſolus & unus habet.

Illius



Illius in dextra mors eſt, & uita uidetur,
Quæ ſua ſunt uitæ, dat quoque iura neci.
Ille annum ad ſolis radios tibi diuidit omnem,
Quos numeres, cœli mittit ab orbe Deos.
Excipit hoc Paulus, Paulus tibi maximus ille, Pauli põt. max. laus.
Miſcet & antiquis, quos facit ille Deos.
Et gaudet numerare tibi quæ feſta reponas,
Et ne deficiant diruta templa nouat.
Explicat antennas, ſinuoſaq; uela carinæ Remigij epĩ et cõfeſſoris.
Remigius, ſæuo eſt fortior ille mari.
Fortior eſt uentis, uehitur ſpectata quadrigis Claræ virginis trãſlatio.
Clara, ſuæ mentis lilia in ore uides,
Cernis utraque manu. Nullo ſignatur honore
Tertia, quarta ſuo eſt quàm bene tuta duce.
Franciſci redit alma dies, age feſta canantur, Franciſci confeſſo.
Quæ non humana uoce canenda forent.
Pica parens uitæ ſteriles conſumpſerat annos,
Hunc parit, à ſuperis ille uocatus erat.
Ioachus hunc uates celauit imagine uera,
Ante annos pueri, ſecula & ante patris.
Vix puer ille Deus plenis adoleuerat annis,
Cœpit in ardentes altius ire polos.
Sparſerat aërio perfuſum flamine nomen,
Diuiditur terris quam mare terra mari.
Hunc populi obſeruant, cœlo Deus intonat alto,
Infunditq; ſui uulneris omne iubar.
Quumq; Dei uere ſoluiſſet munera, cœli
Summa petit, terras & tamen ille colit.

 Ille

Ille uocatus adeſt, ægris leuat ille dolores,
Eripuit tumido millia multa mari.
Eripuit flammis, flammas fugat ille nocentes,
Eripuit medijs hoſtibus ille duces.
Matribus ille fauet, puero, iuueniq́;, patriq́;,
Et patriæ pater eſt, & Deus ille ſuæ.
Adde, quòd & uiuens uitæ eſt imitatus honores,
Quam prius à cœlo detulit ipſe Deus.
Hæc tibi pars menſis terram ſulcare iubebit,
Et Cereris laudes, & dare ſemen humo.
Et libare merum ſuperis, ſummoq́; tonanti,
Exeat ut campis plenior herba tuis.
Ne fera tempeſtas noceat, ne uentus & unda,
SÆPE nocent ignes, flumina ſæpe nocent.
Vidimus abſumptas ſegetes, ſurgentibus undis,
Et matura ſeges ſole perempta fuit.
Parcite uos ignes ſegeti, uos parcite uenti,
Et rubigo nocens ferrea tela tene.
Ecce tibi medios autumnus adauget honores,
Munus apum cellis, & tibi mella legit.
Ille docet ceras flammis componere molles,
Vt Marco ualeas exibuiſſe diem. Marci pōt max. & cōfeſ.
Sergius & comites ſignant cum ſanguine limen, Sergij & ſociorum mart.
Et Iuſtina ſua cæde colenda tibi. Iuſtinæ virgin, & mart,
Euganeos colit illa ſinus, urbemq́; tuetur,
Troius erexit quam pater ipſe ſibi.
Edocet illa Deos, cœlo deducit ab alto,
Et legum innumeros explicat illa ſinus.

Illa legit



Illa legit uatum, legit illa uolumina Moſis,
Et renouat ueteres ingenioſa uias.
Alma Deûm tellus ſtudio famaq́; perennis
Sic age, debebit ſic tibi uterq́; polus.
Tu quoq́; uirgo, Deûm ſi uincitur ira precando,
Vrbe tua fugiant perfida bella procul.
Germano compulſa fuit ſatis illa potenti,
Et fuit hoſtili non ſemel icta malo.
Mœnibus illa ſuis uictricia reppulit arma,
Proq́; ſuis ducibus fortior illa fuit.
Sanguineæ, uideo, manant ex æthere guttæ,
Illa Dionyſij eſt plena cruore uia. Dioniſii, Ruſtici, et Heleuterij mart.
Quos habeat ſecum comites, & mortis, & umbræ,
Aſpicis, hic dextra eſt, hunc quoq; læua tegit.
Forſitan ipſe roges & uitæ & mortis honores,
Flamen erat primus, primus & ipſe Numa.
Miſſus ab orbe ſuo Gallorum uenit ad urbes,
Vt Chriſti effuſas ille doceret opes.
Serius illa manus rudis ad pia munera Chriſti
Corpora ſuppoſuit non moritura neci.
Nunc late effulget, nunc illis uiuit in oris,
Pauperibus præſens diuitibuſq́; uenit.
Hunc pater infelix nato moriente precatur,
Hunc & tartareis euocat umbra locis.
Hunc mater pueri, & fatis concuſſa mariti,
Et ſoror, & fratres, & puer ante Deum.
Hunc rogat infelix, patitur qui ferrea uincla,
Qui procul à patria eſt, quem maris unda premit.



Sunt

Chrſpi et Caij diſci pulorum.

*Sunt duo, qui currunt, duo ſunt, quos præmia laudũ*
*Expectant, unus præmia & unus habet.*
*Forſitan inquires quo nam certamine ludant.*
*Accipe, uera tibi nec tibi uera loquar.*
*Alcides fuluum Nemeæ ſub rupe leonem*
*Strauit, & à uicto dona leone tulit.*
*Inſtituit ludos, & magne laudis honores,*
*Victori & uicto præmia digna tulit.*
*Hîc manus, hîc iuuenum celebri certamina curſu*
*Incipit, & fremitu conſonat omne nemus.*
*Vincitur Hippomanes, pomiſq; eluſa puella.*
*Cynthia fraternis altius ardet equis.*
*Hâc modo concurrit Phœbe, modo curſitat illac,*
*Indigne Ænomaus præmia rapta uidet.*
*Non tamen audet inops diuæ ſe opponere, cœlo*

Cerbonij epi et cõfeſſo.

*Omnia Cerbonius ſpectat, & arma petit.*
*Arma petit, curruq; uolans conſcendit eburno,*
*Cynthia ſeq; tuis curribus oppoſuit.*
*Protinus ad currus uolucres armatur uterque,*
*Aptat & ad currus altera & alter opes.*
*Aurea palma uiret, color omnis quæritur illic,*
*Illic Vulcanus frena coronat equi.*
*Hic pingit cœlo peperit quos laudis honores,*
*Illa ſui curſus præmia quanta forent.*
*Iam procul abſcedunt, meta iam feruet uterque,*
*Deuictam Phœben claßica ſigna canunt.*
*Curia cœleſtis gaudet, nemus omne uireſcit,*

Ioannis cõfeſſo.

*Ioannes eadem præmia uictor habet.*

*Auditur*



*Auditur tumulis, Auguſtæ uocis imago,*
*Ille libens primas deſerit, ille domos.*
*Hic locus eſt, hæc prima domus, quam deſerit ille,*
*Deſerit, & tamen eſt gratior una ſibi.*
*Sæpius auditur tumulo, ſpectatur & illic,*
*Illic Socraticas diſſerit altus opes.*
*In tumulo nodos, uiuoq; in marmore ſignat,*
*Hoc decimam menſis claudit honore diem.*
*Sola nec æternos implet uirtutis honores,*
*Altera dat uires, altera uocis iter.*
*Nec contenta ſuo eſt alte quem ſpectat honore,*
*Diuidit in populo dum pia ſacra uidet.*
*Illa Caliſtus habet, rex eſt, pater urbis, & anni* Caliſti põt. max. et confeſ.
*Gloria, palma manu eſt, aurea palma uiret.*
*Quinque per autumnos Romanas rexerat urbes,*
*Et numerum in celſa fronte uidere licet.*
*Et ieiuna dies longum ſacrata per æuum,*
*Templaq; quæ Tyberis proluit amne Deus.*
*Cernitur & fatum, triſtesq; in funere caſus,*
*Et regum ſæuæ per ſua damna manus.*
*Cur pia ſacra facis Romanam adſcitus in urbem?*
*Nulla tibi uideo præmia digna dari.*
*Ieſſeïdes humilis uita laudatus & annis*
*Accepit dignas regna laboris opes.*
*Et uirtute ſua tot millia Dælia uirgo*
*Soluerat effugiens caſtra inimica ducis.*
*Nec caruit iuſtis Aluanius ille triumphis,*
*Curribus impoſuit qui pia ſacra Deûm.*

N 4 *Nec*

Nec qui ſe oppoſuit flammæ, ne flamma noceret
Numinibus, nec qui ſuſtulit igne patrem,
Si dantur meritis ſua præmia, gloria nulla eſt,
Nulla neganda tibi, ſed uacat illa tamen.
Non mihi Dij ſuperi, Gallo quod contigit olim,
Conuertent ſæuas in mea fata manus.
Non procul expellent patria, non fata iubebunt
Cernere ab hoſtili fata peracta manu.
Non fratres odijs agitabunt, nulla ueneno
Spicula perfundent, carmina nulla dabunt.
Non lituus non bella mihi minitabitur arcus,
Nil mihi ad extremum uita timenda diem.
Et licet extremo frangantur pollice fila,
Implebo lætos & ſine morte dies.
Me meus ad ſuperos menſis me ducet & annus,
Præmia qui noſtri digna laboris habent.
Hic pater ille Deûm (pietas nondum excidit illa
Illa Dei) noſtro digna labore dabit.
Pauli pōt. max. laus. Forſitan & Paulus Chriſti ueneranda poteſtas,
Millia qui à cœlo præmia rapta tenet.
Ennij Statua. Ennius inter auos ſtatuam meruiſſe uidetur,
Scipiadum belli nec fuit ille comes.
Gorgias Leontin⁹ de q̄ Val. Max. lib. 8. cap. 14. Ille Leontinus, mundi decus, unica fama,
Temporis ex auro uiuus in aſtra uolat.
Tanta nec expecto, nec me meruiſſe fatebor,
Hæc ſaltem de me fama ſuperſtes erit.
Annus ab infernis duce me reuocabitur undis,
Et ſoli & lunæ redditus omnis honos.

Et cœli



Et cœli decus, & magni Chriſti aurea ſedes,
Et quæcunq; ſuo gaudet honore dies.
Occurunt ultro, præfixa elementa pateſcunt,
Quatuor è uaria de regione poli.
Ponderat æqua dies mihi Libra, & Aquarius annū Hyemis paraſceue
Incipit, & moles ſuſtinet ille ſuas.
Et ſua tempeſtas pluuioſo nubila cœlo
Tempora prædicit diluuijq; minas.
Quàm bene prædixit, niſi fallunt tempora, Noa,
Noa Deûm ſoboles, gloria Noa Deûm.
Humanum genus ille ſenex ſeruauit ab undis,
Hinc autor generis dicitur ille ſenex.
Maximus ille ſenex generis defenſor & autor,
Cœperat humanum ſacra docere genus.
Naturam rerum ſuperis & traxerat oris,
Et ſecreta Deûm non bene nota dabat.
Sed puer ipſe patri magicis illuſerat herbis, Cham filius Noe.
Perfidus humanas qui uiolabat opes.
Et decus, & leges, patrijs expulſus ab oris,
Inde Chameſenus nomine dictus erat.
Huic uni Ægyptus diuûm ſacrauit honores,
Saturnumq; ſibi conſtitit eſſe ducem.
Lex eſt illa tamen neglecta ſequentibus annis,
Sed tamen eſt fratri perfida iuncta ſoror.
NE VIOLES (moneo) thalamos, & iura ſororū,
Iura tibi caſta ſemper habenda manu,
IPSE licet ſuperum procumbas mœſtus ad aras, In Libidinem:
Pœniteatq; tui criminis eſſe reum.

N 5 Mille

MILLE licet thedas adoles altaribus aureis,
Vltores uenient in tua damna Dei.
SEV maris undoſi fluctus undaſq; natabis,
In te tota ruent æquora, tota cadent.
IBIS ad Auroræ thalamos, morieris in illis
Finibus, unda tibi terra negabit opem.
SI TIBI Dædalea cœlum ſulcabitur arte,
Ipſe cades ſubito læſus ab arte tua.
VIS cœlum & terras metiri, atq; æquoris undas?
Nil noceant animo crimina dira tuo.
In Auaritiam. SIT tibi luxuries odio, ſit auara cupido,
Qua nihil in toto turpius orbe uides.
SEMPER inops et ſemp egens bibit atra cruorē,
Pallidaq; eſt toto pectore ſemper inops.
DES aurum, des quanta creat ſibi Dædala tellus,
Semper auara timet, perfida ſemper eget.
Sanguineos mouet illa oculos, mouet horrida uultū,
Pallent ieiuna mortua membra fame.
In Prodigalitatē. EFFVGE delitias, & menſæ diuitis uſum,
Pulſaque ſit toto pectore cura nocens.
In Bellū. SANGVINE parce precor ne ſanctā pollue dextrā,
Illa uocat cædes in ſua fata reos.
DEXTERA quæ ſtricto mucrone petiuit Iulum,
In ſe non potuit non tamen eſſe nocens.
ILLE quidem caſus & uox morientis ab alto
Sanguinis ultores conuocat uſque Deos.
SINT fera bella procul, nulla eſt in funere belli
Gloria, ſint iræ & dira uenena procul.
QVID



QVID ſibi laudis emit, qui bello fortiter uſus,
Crudeli populos in ſua lege tenet?
QVID ſibi laudis emit, magicis qui uincit in herbis
Hanc uitam? uitæ ſi tamen illa nocent.
SIT procul inuidiæ, quantum nocet illa, furentes
Illa facit iuuenes, & facit illa ſenes. Cōtra Inuidiam.
FELLE uiret corpus, torpet caligine ſemper,
Vtque alijs noceat, plus nocet ipſa ſibi.
NEC tibi ſit curæ tam faſto incedere cultu,
Ille ſolet cultus ſplendidus eſſe nocens.
EXVE fœmineos habitus, decor ille uirilis
Ornat, & ad cultus conuenit ille tuos. Contra inanē gloriā ſuperbi cultus.
NON tibi Sicanio perfundas rore capillos,
Pendeat incultis horrida barba genis.
PRINCIPIS ille decor, uel magni nominis eſſe
Creditur, ætati nil nociturus erit.
HERCVLIS intonſa laudatur populus umbra,
Gratior atque ſuis frondibus eſſe ſolet. Laus pulchritudinis naturalis.
PRATA decent flores, fontes ſpectātur ab unda,
Aërias uolucres & ſua penna decet.
FRONDIBVS ornantur montes, & piſcibus undæ,
Et fœcunda ſuo uellere gaudet ouis.
DEME ſuas cœlo ſtellas, & lumina Phœbo,
Quid tibi erit cœlum? quid tibi Phœbus erit?
DEME undas pelago, pelago Neptunus abibit,
Deme agris flores, quid tibi terra dabit?
DEME dies anno, quæ diuûm feſta canentur?
Quæ procul a nobis non tamen eſſe uides.
Ecce

Galli abbatis. Luce euangelistæ.

Ecce patent Idus, & iam uenere calendæ,
Gallus habet laudes, præmia Gallus habet.
Altera tota uacat, Lucas hinc exerit alto,
Et ſibi non una præmia laude petit.
Nuntius ille Deûm Græca numeroſior arte
Diſſeruit quæ ſit uerior umbra Dei.
Prædicat humano mactatum ſanguine Chriſtum,
Iſace cui fueras uera figura necis.
Caſtior extremos uitæ permanſit ad annos,
Nos Bizantinis credimus oſſa locis.
Alma Cremona caput ſacrum ueneratur in auro,
Thura Salandina ſuſcipit ille manu.

Pauli pōt. max. laus.

Accipit & lacrymas, & ueræ laudis honores,
Non illi Paulus, præmia digna negat.
Publicat ille diem, feſtosq; indicit honores,
Et Romam & populos ad noua templa uocat.

Sol in Scorpione.

Scorpius undantes radios, atque excipit ignes
Solis, & in cauda dira uenena mouet.
Hic terra genitus deuicit Orionis annos,
Et ne uincatur, dira uenena mouet.
Collige maturos autumni tempore fructus,
Ne noceant hyemes, collige ligna tibi.
Collige matura tibi uina fluentia uite,
Quod supereſt fructus collige, tempus adeſt.
Iam matura cadunt alto de uertice poma,
Iamq; ſuos ramos deſeruere nuces.
Iam uertenda tibi terra eſt, iam poſcit aratrum,
Et ſua telluri eſt iam tibi danda ſeges.

Frigora



Frigora ne noceant apibus, tibi conſule, uerno
Tempore mella fluent uberiore lacu.

Hylarionis abbatis.

Maximus Hylarion cultu uelatus agreſti
Emicat, & nudam pectore calcat humum.
Pauperibus largitus opes diuiſerat æque,
Impl:erat uitæ per tria luſtra dies.
Ipſe ſuis manibus paruas conſtruxerat ædes,
In ſyluis, ſyluæ gratior umbra fuit.
Illic cœleſtes epulas meditatus abunde eſt,
Luxuriam fugiens, otia, furta, dolos.
Sic petitur cœlum, ſic uincitur ira Deorum,
Et quæ tartareis pullulat umbra locis.

Vndecim mille virginum.

Mille tuis poſſem numerare nepotibus annos,
Mille tibi poſſem dinumerare dies.
Virgineosq; habitus & conſcia corda pudoris,
Quæ complent omni de regione uias.
Huc errant, illuc, nec ſe uirtutis egentes
Inſpiciunt, uitæ candida dona ferunt.
Dona ferunt, flores & fulgent lilia dextra,
Magna datur fidei gloria, magnus honos.
Si poterant fuſo uitam finire cruore,
Viſa erat in dextra ſanguine palma rubens.
Quæ ſequitur nullos referet tibi laudis honores,
Nulla eſt morte tibi, nulla notata manu.
Nec decimæ numerantur opes, ſignataq; cœlo
Nomina, nona dies & ſine laude uenit.
Fallor? an exemit nomen mihi longa uetuſtas?
Nulla loco certe marmore ſigna micant.

Nec mihi

Nec mihi dum numerat menſes & nomina Moſes,
Conſtituit quali uoce canenda forent.

*Chryſanti, & Dariæ mart. Dña Biãcha Cremonę Domina.*

Virginis ala micat, uirgo eſt, ſpectatur aperto
Æthere, nec curru ſola nec una ſedet.
Illa duci Inſubrum thedas, nec ſola iugales
Vßit, & in thalamos pronior una fuit.
Iußit ut imperij iuſte retineret habenas,
Imperij æternas ſic dabat illa dies.
Ille memor diuæ meritas ſacrauerat aras,
Et ſua conſtituit munera rite dari.

*Franciſc⁹ Sfortia pmus dux huius nominis.*

Sfortiadum primus regni patefecit habenas,
Hoc ſub rege fuit nulla timenda lues.
Bello erat ille potens, & pacis honore ſuperbus,
Terruit hoſtiles per fera bella manus.

*Galeatius Sfortia dux Mediol.*

Alter adeſt uere nulli uirtute ſecundus,
Opprimit incautum quem uiolenta manus.

*Io. Galeatius Sfortia dux Mediol.*

Filius hunc ſequitur raptus iuuenilibus annis,
Maurus ad imperij frena regenda uenit.
Maximianus adeſt Scythicis reuocatus ab oris,
Frater ad imperium, Marte fauente, uenit.

*Ludouicus Maurus Sfortia dux Mediol.*

Sfortiadum decus, & mundi uere unica fama,
Qui tandem inuicto uictor ab hoſte redit.

*Maximianus Sfortia.*

Ille annos equidem, laudesq́; ſequetur auorum,
Iuſtitiaq́; reget maximus orbis opes.

*Frãciſc⁹ ſecũdus.*

Salue ſupremum mihi dux imitator auorum,
Quem pia ſeruarunt funere fata Deûm.
Viue precor ſuperûm uotis ad regna uocatus,
Sitq́; Deus clemens, ſint pia fata tibi.

Vix



Vix Aurora ſuo lucem tibi ſydere pandit,
Signa dabit cœlo, ſigna colenda tibi.

*Euariſti põt. max. & mart.*

Infula de cœlo ſpectatur imagine uera,
Et laudes animi & corporis illa gerit.
Et ne nuda uacet, guttas habet illa cruoris,
Fortiter & recitat bella peracta Deo.
Parta trophæa refert, meritos agit illa triumphos,
Et maiora meis uiribus illa facit.
Huc age Meonides, tanto res carmine digna
Marti bella ſinas, & ſua tela Ioui.

*Pauli põt. max. laus.*

Tu quoque Paule mihi Romani conditor anni
Diuina reſeres tam pia facta manu.
Indue cœleſtes habitus, quos induis unus,
Cui fuit & ſoli cura relicta Deûm.
Cinge tuis radijs naſcentem legibus urbem,
Plus tibi quàm Marti Romulus ipſe dabit.
Plus tibi Roma dabit quàm magni Cæſaris umbris,
Plus tibi quàm Iano, ſi Deus ille fuit.
Fundamenta loci condas tellure ſub ima,
Aucta tuis meritis ſydera templa petant.
Et noua ſacra feras, noua ſunt tibi pectora Paule,
Dat Deus à cœlo quæ noua ſacra feras.
Ille imitandus erat, quum ſacri numen honoris
Indueres, cuius pondera tanta tenes.
Quodque facis, firmanda fides uel mortis honore,
Quodq́; facis, terris eſt ſua danda fides.
Non uiolandus honos, uiuendum legibus illis,
Quas natura tibi, quas Deus ipſe dedit.

Ipſe

Ipſe tibi poſſem uitæ deſcribere leges,
Ni lex tota tua condita mente foret.
Emicat ille ſinu, defendi gaudet ab illo,
Sacrorum, inſtituit quæ Deus ipſe, patrem.
Quod tibi do pariter, reddas mihi maxime Paule,
Te facio æternum, tu mihi redde Deos.
Quod tibi donaui dederis ſi maxime Paule,
Non potero moriens mortuus eſſe diu.

Iuuonis cõfeſſoris ex Britã- nia.

Vendicat emeritas ſibi dia Britannia laudes,
Et gaudet terris omnibus illa coli.
An tibi uis recitem ſpectatæ laudis honores?
An miracla tibi? uis tibi tanta loquar?
Illa oriens Titan procul aſpicit, illa cadendo
Cernit, & ut uideat tardius ire ſolet.
Luna uidet, ſpectat, curru tardante moratur,
Caſtor Amiclæis & bene notus equis.
Nec Pollux naſcentis equi procul aſpicit ignes,
Et ſua ne mergat tempora cernit adhuc.
Cyllarus altus equo ſpectans fugit æquoris undas,
Dumq́; uidet tellus, nec Phaëtonta timet.

Vigilia diuorum Simonis & Iudæ apoſtolorum.

Munus ieiuni ſacros tibi cantat honores,
Exequitur quantum ponderis illud habet.
Et quia iura Deûm facile elabuntur, ad illa
Curre, dabunt uires illa uocata ſuas.

Simonis & Iudæ apoſtolorum.

Nec tacet illa Deos nulla uirtute carentes,
Qui'ue hominem in terris, qui coluere Deum.
Quarta tibi ad finem properans, & tertia ſancta
Lege caret, plena nec uacat illa fide.

Vltima



Vltima quod recitem, nec habet, nec poſcit honorem,
Iam mihi nunc alia puppe ferantur opes.

## HIERONYMI CLARAVACÆI FASTORVM.

## *LIBER VNDECIMVS.*

Vranie dux poëtæ in hoc libro. Clemẽtis põt. max. mortis deploratio & laus.

QVO FVGIS VRANIE? tibi ſunt numeranda Deorum
Nomina, ſed uox eſt nulla mouenda lyra.
Occubuit Clemens, mors eſt lacrymabilis illa,
Qua nocuit terris omnibus una dies.
Ille ſui fama terrarum impleuerat orbem,
Iuſtitiæ uires, quòd dabat ille ſuas.
Qua præſtabat opes, illa uirtute mouebat,
Siue Deos, noſtras ſiue regebat opes.
Ille Dei claſſem remo uelisq́; carentem
Inſtituit medio fortius ire mari.
Ille crucis ſignum cœlo oſtentabat aperto,
Huius ab auſpicijs quanta futura fides.
Lapſa Deûm pietas illo uiuente reuixit,
Quantumque una ſibi uendicat alma fides.
Monſtra ſuis precibus nunquam reditura fugauit,
Et falſas ſectas expulit urbe ſua.
Expulit ITALIA, Semper mens alta petebat
Sydera, non humiles ille natabat aquas.

Sæpius & fideï occultas percenſuit artes,
Nec dubius dubio remige uela dedit.
Et nunquam uictus clypeo pugnauit & haſta,
Quem neque Tididæ uincere dextra poteſt.
Errabat uirtutis honos damnatus ab omni,
Suſtinuit miſeras ille cadentis opes.
Ille quidem muſas totum reuocauit in orbem,
Nec paſſus uatum carmina ſacra mori.
Ille daturus erat noſtris ſua præmia faſtis,
Sufficiet Paulus ſed tamen illud onus.
Huius ad æternum certatim currere fama
Nomen, & inuito præmia tanta dabat.
Cardine quid referam quo ſe firmauerit? & quos
Suſtinuit uera relligione Deos?

Pauli pōt. max. laus.

Mille ſibi proceres, cenſus ſibi mille creauit,
Auxit honore tuum Martia Roma decus.
Quum uero ante aras, & numen adiret Olympi,
Et mouit lacrymis & pietate Deos,
Ille ſuis precibus, fideï præſentia tanta eſt,
Vicerat æquorei feruida ſaxa maris.
Vicerat & pluuias tempeſtaſque futuras,
Nil nocuit rabies ignis, & unda nihil.
Vicerat & duras hyemes, & quicquid acerbum eſt,
Inque ſuis tenuit fontibus ille lacus.
Sæpius & iuſsit ſtagnis exire paludes,
Vt fœcunda ſuas terra crearet opes.
Ille potens bellis, & pacis honore ſuperbus
Hoſtibus ardenti bella mouere manu.





Inſidiſq; potens, horrentia bella parabat,
Cederet ut toti peſtis iniqua gregi.
Inuida mors rapuit quantum conceperat ille,
Hei mihi quàm noſtris inuidet illa bonis.

In mortē inuectio.

Mille dolos agitat, rapit hunc per tela, per hoſtes,
Obruit hunc tumidis fa[illegible]ta inimica uadis.
Ille cadit manibus nati miſerabilis, ille,
Proh ſcelus indignum, concidit ante patrem.
Hunc magnæ interimunt artes, hunc dira uenena,
Hunc dolor, hunc febres, hunc fera flamma necat.
Inſoliti & riſus norunt ſua funera, fas eſt
Amiſſum doleas per fera fata Deum.
Dum genis, interea ſuperos in templa uocabo,
Et quos alma fides in noua iura tenet.
Ingens illud onus muſas & numen Homeri
Quærit, & humana fortius illud ope eſt.
Si tamen audaces natura impleuerit annos,
Expediam quantum ponderis illud habet.
Primus iter cœli, cognataq; ſydera dicam,
Primus & inuictis euehar altus equis.
Dij mihi ſi qua fides, ſi uos in templa uocaui
Qua licet, & quantum ſuſtinet alma fides.
Ad uos dum uenio, portas aperite dierum,
Vt quibus incœpi curſibus annus eat.

Pauli pōt. max. laus.

Tu Paule ante alios, quis enim te maior habetur?
Quem ſacrum nomen iuraq; ſacra iuuant.
Tu potes ad ſuperos totum conuertere mundum,
Tanta uenit dictis gratia, tanta fides.

Ipſe tibi inuideo genitor clariſſime, quem non
Dira fames, quem non terruit ignis edax.
Si tibi crudeles mortis mandaret honores
Chriſtus, conſtanter cuncta premenda forent.
Paulum innocat. Da mihi diuorum faciles ad munera linguas,
Et doceas numeros, quo licet ire pede.
Quæ tua dextra gerit, referes mihi templa Deorũ,
Non alia fuerant templa gerenda manu.
Pondera Paule Deus cœli & tibi mandat honores,
In te nunc, uideo, numina cuncta ſedent.
Ire iubet cœlo magnus Deus ille ſereno,
Intonat ille Dei dulcior, ille ſonus.
Sanctorũ omnium. Aſpicis æthereas acies noua ſigna ferentes,
Cœlicolum nota eſt forma manuſq; tibi.
Et tua diuinæ currunt in templa cohortes,
Et ruit effuſo ſanguine palma rubens.
Virgine læua potens, docto pars altera cœtu,
Alta poteſtatum quæ procul ara micat.
Hos canit una dies toto fœcundior anno,
Quæ ſunt Paule tua hîc munera ferre licet.
Indue purpureas ueſtes, nunc tempora poſcunt,
Mane erit in tenebris ueſtis operta caput.
Hæc omnes in templa uocat, quos accipit axis
Stellifer, à Stygijs mane erit umbra locis.
Cõmemoratio defunctorũ. Nondum omnis pietas extincta eſt, iura parentes
Accipiunt Manes, & ſua feſta uident.
Confugiunt ultro Stygia de ſede uocati,
Sunt quibus & lacrymæ ſydera ſumma ferant.
Annua



Annua dum celebras ſua uota parentibus, illo
Tempore non furiæ, non fera flamma nocet.
Millia de Stygijs conſurgere in æthera flammis
Conſpicies, precibus pœna ſoluta tuis.
Annua ne pigeat ſua ſoluere iura parenti,
Crede mihi, ſuperis ſic placuiſſe potes.
Ille pius Iudas Machabæus, maximus ille
Annua dixit auis, & ſua thura dedit.
Ipſe Mænetiadæ tumulum celebrauit Achilles,
Et dedit Æneas annua Iuſta patri.
Quid referam Archemori celebri certamine ludos?
In quibus ut uiuens Amphiaraus erat.
Agricolas moneo, ſi qua eſt ea gloria ruris, Vitalis et Agricolæ mart.
Agricolam celebrent, ille erit una ſalus.
Hoc duce ſurget opus, ſegeteſq; ad ſydera ſurgent,
Et matura illis ſemina reddet ager.
Sed tamen eſt illis omni uirtute colendus
Omnis ager, tellus dura & aratra cupit.
Poſcit & ingentes ſua per certamina tauros,
Et fluuios, illis non ſine culta ſeges.
His fœcunda tibi tota tellure dabuntur
Præmia, fons omni ſede petendus erit.
Ille tibi ſegetes fœcundat & omnia rura,
Milliaq; ex uno tempore multa dabit.
Nil mihi quinta dies cœlo oſtentabat aperto.
Sexta Leonardi munere diues erat.
Ille fores aperit, tetri quoque carceris umbras Leonardi confeſ.
Eximit, à Stygijs millia multa locis.

O 3 Non

Non tibi diuerſas ſolis numerabimus horas,
Temporis & quantum menſis & annus habent.
Omnia concipies animo ſtudijſq; fauore,
Qui minor, & qualis maior in orbe dies.
Nec tibi naſcentis metas numerabimus anni,
Quæq; ſit in toto mobilis orbe dies.
Ianus habet quartam & decimam tibi menſis, ab illo
Deſcendes, quamuis ſol tibi ſigna dabit.
Sol tibi ſigna dabit, caſus docet ille futuros,
Funere diuino condidit ille caput.
Proſdoci mi epi & confeſſo. Proſdocimus ſequitur, ſequitur Ludouicus & ille,
Ille Coronatos quattuor ore canit.
Tranſlatio diui Ludouici Imperat ipſe ſibi ſedes & templa dicari
Quatuor Coronatorũ mart. Chriſtus, & ex imis ſedibus umbra uenit.
Terra tremit, plaudunt ſublimi à limine poſtes,
Dedicatio Baſilicæ ſeruatoris. Ipſe Deus cœlo labitur, ipſe Deus.
DVM uacat & fas eſt, mortalia pectora uotis
Poſcite, per longas flectitur ille preces.
FLECTITVR iratus quamuis & corde pudico,
Ille animus ſuperis gratior eſſe ſolet.
CORRIGE creſcentes mater uirtute puellas,
Et pueros, ſcelus eſt non tacuiſſe nefas.
Theodori mart. Vnda Theodori toto fluit æthere, & illa eſt
Sanguis, & ex tanto funere uita redit.
Triphonis & ſociorum martyrum. Sanguineæ lacero manant de pectore guttæ.
Illa dies magni ſigna doloris habet.
Illa dies fidei robur defendit & auget,
Martini epi & confeſſoris. Dum tibi nudato pectore miles adeſt.

Salue



Salue magne pater, cœlo mihi clarior alto,
Salue, uera tibi eſt gloria, uera fides.
Hæc te uera fides nudum ueſtire coëgit,
Hæc fuerat pietas, hæc tua magna fides.
Manlius arce uigil diros procul expulit hoſtes,
Pauperiem toto tu procul orbe fugas.
Nec tamen eſt odio, uere tu amplecteris illam,
Illa tuo infelix numine tuta uiget.
Illa tua uirtute poteſt & ſumma uidere
Sydera, & à Stygijs illa uocatur aquis.
Tu uere inuictus miles fortiſsimus ille,
Pro quo pugnaſti fortiter arma tenes.
Hæc te expectabant, tua præmia magna uidemus,
Hæc maiora tua credimus eſſe fide.
Et ne digna tibi ſine ſanguine dona ferantur,
Sanguinis ecce dies hæc tua numen habet. Mennæ mart.
Ecce tibi clara reſeratur imagine cœlum, Martini põt. max. & cõfeſ.
Aurea pontificis uirga potentis adeſt.
Illa regit terras, illa eſt quæ ſuſtinet axem,
Fortiter in Stygios irruit illa duces.
Britius audiuit poſtquam ſua munera cœlo Britij epi & confeſ.
Labitur, & pluuias & mouet ille faces.
Fertur ad extemas radio currente ſagittas Sol itrat in primo gradu Sagittarij.
Phœbus, & ad primos ſe mouet ille gradus.
Ille ſuas metas metitur, & euolat inter
Sydera, perq; omnes emicat ille gradus.
Septima quum ueniat, numeros impleuerit omnes,
Exoriensq; tibi uulnera mille dabit.

 Et modo

Et modo qua Boreas currit, modo tendit ad Auſtrũ,
Et modo qua Zephirus currit in aſtra uenit.
Interdum flammas & ſigna Lycaonis Arctos,
Herculeiq́; alte terga Leonis adit.
Vere nouo ingreditur naſcentis cornua Tauri,
Quum redeunt hyemes altera ſigna petit.
Semper agit currus, cœloq́; mouetur aperto,
Semper & inuictis ille agitatur equis.
Luna ſui fratris curſus imitatur & auras,
Illa ſuis etiam menſibus orbe micat.
Nec ſua lux illa eſt, ſolis calor ille, per omnes
Funditur ardenti, quo calet igne Deus.
Ille dies renouat, noctisq́; orientia ſigna
Luna, nec aſsiduo uicta labore gemit.
Adde quòd aſsiduo uoluuntur ſydera motu,
In ſe concurrunt, nec cadit ipſe polus.
Hic fugit, hic ſequitur fugientem, concipe mente,
Æther non alia lege mouendus erat.
Hæc te ſigna docent nunquam requieſcere cœlum,
Concipe, cœleſtes in tua iura uoca.
Scylla nocet, nocet unda tibi, nocet atra Caribdis,
Et tamen ad ſuperos non bona uerba moues.
VERBA mouent iras, & uerba precãtia mentẽ,
Illa tibi tota uerba canenda die.
Apoſtrophæ poëtæ ad diuos.
Dij mihi cœleſtes, quibus axem uita parauit,
Soluite de medio nunc mea uela mari.
In portus redeant, optataq́; terra petatur,
Et repetat patriam mercibus aucta ratis.

Hæc



Hæc pia thura gerit, uobis hîc ſacra canuntur.
Quod facit ad ſuperos hæc mea nauis habet.
Si tibi durus erit uentus, ſi durior unda,
Vnda erit effuſo thure pianda tibi.
Hac ſed lege tamen uioles ne ſacra Deorum,
Ne doceant ritus hæc tua ſacra nouos.
Quum primum effundes, dices tibi, maxime rerum
Conditor, effundo, ſin minus unda premet,
Obruet unda ratem, potuit tot mergere ponto,
Vnius ob culpam, dia Minerua rates.
Et Peliæ nocuit Iuno, ſed cauſa nocendi
Ipſe fuit, ſuperis dum renouatur honos.
Irruit in Danaos peſtis, quia maior Atrides
Spicula contorſit, ſed nocitura ſibi.
Hæc bona fama tuos, hæc te bona fama iuuabit,
Et ueniet facto iuſtior umbra tuo.
Non audes commiſſa Deis iniuſta fateri,
Et quicquid dixit perfida lingua mali.
Atq́; ita Chriſte Deus, mundi decus, autor & orbis, Oratio ad Chriſtum.
Per quem conſtituit cuncta elementa Deus,
Qui patris è gremio lapſus de uirgine naſcens
Seruaſti humanum non ſine morte genus.
Per te, per diram mortem, per quinque precamur
Vulnera, nos ſerues, ſi tua turba ſumus.
Seruaſti quondam Aſsirio tua mœnia bello,
Seruaſti Hebræas, hoſte ſequente, manus.
Perfidiæ & Veneris commiſimus omnia monſtra,
Tu Deus es nobis, tu miſerere Deus.

O 5 Tempus

Tempus adeſt, fateor, ſuperos quæcunque negaſti
Orabis ueniam, iam tibi tempus adeſt.
Tempus adeſt; meliore uia, cultuq; beato
Ingredere ad uitam, iam tibi tempus adeſt.
Tempus adeſt; natos miſeri qui ſanguine paſcis,
Pone feros animos, iam tibi tempus adeſt.
Tempus adeſt, mala lingua tuas iam comprime uoces,
Tempus adeſt, neſcis? iam tibi tempus adeſt.
Tempus adeſt, animum faſtu qui paſcis inani
Corrige, tempus adeſt, non tibi tempus erit.
Et tibi ieiuni placeant ſpectacula menſis,
Annus in hoc cultu ſic tibi diues erit.
Ibis in ardentes radios, ſuperabis Olympum,
Nullaq; erit cœli non tibi nota dies.
Tempus ieiuni quicunque ſacrauerit ille,
Ille Dei ſoboles uera & imago fuit.
Naſcitur ex mira rerum dulcedine luxus,
Hæc decus, hæc laudes, hæc monumenta parit.
Conditor hanc Moſes, dum ſe patriamq; tuetur,
Per multos docuit tam pia ſacra dies.
Et Deus accipiens noſtræ uelamina carnis,
Creditus eſt menſis inſtituiſſe patrum.
Deſerta ingreſſus uitæ hos impleuit honores,
Qui redeunt anno non moriente tibi.
Hæc tibi pars menſis ſeruanda eſt mente pudica,
Illa docet Chriſti munera quanta forent.
Qualis honos uitæ, qualis ſapientia, qualis
Gloria, maieſtas qualis, & unde foret.

Vox



Vox diuina monet fidei præſentia quanta eſt,
Quid Deus, & nodos explicat una tibi.
Diſſerit argute ſit quanta potentia diuûm,
Et tua mordaci crimina uoce notat.
Fœnora teſtatur, teſtatur & impia mentis
Gaudia, perfidiæ curſitat illa gradus.
Perfidiam damnat, prædicit & horrida bella
Sæpius, iratum ſæpius illa Deum.
Si tibi ſunt odio Veneres, ſi perfida cura,
Nulla tibi eſt peſtis, nulla timenda fames.
Sparge caput cineri, quid enim niſi puluis imago eſt
Corporis? hæc tua ſunt quæ moritura uides.
Pupillos miſeros, uiduam defende relictam, Septē opera miſericordiæ.
In miſeros pietas ſit tua nota ſenes.
Funera pauperibus ſtatuas, des munus egenti,
Neue iterum fallant neſcia corda doce.
Et ſua des ægris medicamina, uincula ſolue,
Labentemq; animo ſuſtinuiſſe potes.
Iuſtitiæ uires, & iura tuere Deorum,
Sit tibi auaritiæ, ſit procul omnis amor. In Auaritiam.
Hanc Deus exoſus, Stygiæ ſola incubat aulæ,
Sola nefas, ſola eſt quæ meditetur opes.
Ægra dolet ſemper, ſemper dolet anxia rerum,
Quæ tua ſunt dire uendicat illa ſibi.
Tanta illi rabies, & rerum tanta libido,
Vt ruat in cædes, nec putet eſſe nefas.
Collige quicquid habet pontus, quid terra creauit,
Hæc nihil ad diræ premia mentis erunt.

Non

Non maius terris monſtrum natura creauit,
Dilacerat, turbat, ſic male condit opes.
Illi nota domus, domus eſt, ſi forte requiris,
Condita Lethæis non habitata locis.
Hic quoniam abſtinuit partis, laceratur abunde,
Inq; ſinu fraudes, & uidet illa nefas.
Perdere mortales ſcelus eſt, patriamq; cremare,
Maius auaritia quis putat eſſe nefas?
Hæc facile occumbet, ſi quæ diuina uocamus
Munera, non ægra condere mente uoles.
Quatuor uirtutes Cardineæ
Quattuor eſſe uides, Prudentia ſumma tenebat,
Iuſtitiæ ſedes altera danda tibi.
Tertia uirtutis, moderaminis ultima, in una
Alma poteſt uirtus quælibet eſſe tibi.
Ducimur ad ueri laudes, ad numinis umbras,
In qua qui præſtat, creditur eſſe Deus.
Curre per antiquos iterum mea muſa labores,
Nil habet hîc forſan quod tibi fama neget.
Dedicatio Baſilicæ, Petri, & Pauli.
Aurea templa ſibi ſtatuit de marmore puro
Clauiger, & Pauli nil ſine mente facit.
Marmor uterque gerit, poſtes aptantur ab imis
Sedibus, ex omni marmore ſurgit opus.
Et tibi diuinis fulgent aſarota figuris,
Hæc fuerat ſuperis aurea danda domus.
Ignotam docuere fidem, docuere potentes
Cœlicolas, uitæ reſtituere dies.
Labitur altus equo Paulus, ſua templa coronat,
Et baculo ſcribit prima elementa Deus.
Clauiger



Clauiger indutus pallam Deus intonat alte,
Et uocat ex illo, quò uelit, orbe, Deos.
Tollite Lethæi reges, attollite portas,
Vt pateat regi ianua ueſtra Deo.
Ille Deus uitæ Deus eſt, & funeris autor,
Concußit uicta limina ueſtra nece.
Vngit uterque fores, ſummiq; cacumina templi,
Spargitur aërijs poſtmodo limen aquis.
Nouerat Heliſabes mores pater optimus altos, Heliſabes uiduæ.
Hanc rapit immenſa per loca ſumma manu.
Filia regis erat, regum contempſit honores,
Vt fuerat magno nata puella Deo.
Delicias ſpreuit fraudata cupidine nullo,
Illa animis uerum condidit una Deum.
Qui colis argento radiatum numen & auro,
Non eris in cœlo cognitus ante Deos.
Pro Deo imago Dei non eſt, mihi crede, colenda, Cur imagines in tẽplis cõtra Lutheranos.
Ponitur in templis, ſed tamen illa Dei.
Ponitur ut ſubeat diuûm ſub imagine numen,
Nulla ſed in ſtatua eſt gloria, nulla fides.
Altera nomen habet, Romæ defendit habenas, Pontiani põt. max. & mart.
Vnaq; perfuſo tota cruore madet.
Ille cruor uitæ decus eſt, & gloria mortis,
Hunc bibe, ne noceant dira uenena tibi.
Spargitur ille nocens ſanguis per mẽbra, per artus,
Et fuit immenſis uiribus ille nocens.
Herculis eſt artus longe populatus & ora,
Cauſa fuit tanti Deianira mali.
Credula

Deianiræ credulitas.

Credula Neſſeo concretas ſanguine ueſtes
Miſit, in ardentes concidit ille rogos.

Preſentatio Mariæ virginis,

Alma parens uirgo, regem paritura Deorum,
Templa petit, leges quærit amica Deo.
Mirantur templiq; ſenes, & maximus ordo,
Qualis erat uultu, quanta futura dedit.
Hanc Deus ardentem radijs impleuerat, uni
Nectareos latices, ambroſiamq; dabat.
Diſcite uirginei cœtus, uos diſcite matres,
Ante fores templi ſoluere iuſta deis.
Caſta ueni, quæcunq; uenis, procul ite ſceleſti,
Non ſum à ueſtra thura pianda manu.
Tu quoque placata nondum tibi uirginis ira,
Ne procul à terris nauita ſolue ratem.
Hic decor, hi flores, hi uirginitatis honores,
Æternam debent promeruiſſe fidem.
Intereunt flammæ, ſol occidit aureus, illa
Nil habet aduerſi, quod moritura timet.
Pura quidem puro generatur corpore, flammas
Concipit, & uiua uoce futura canit.
Tota quidem flamma eſt nunquam moritura, beatas,
Quas habet ex toto pectore fundit opes.
Fundit Erythræo ueluti de littore gemmas,
In quibus & cœli condidit omne iubar.
Salue uera Dei proles & gloria, ſalue
Virginitas, ſine te nil reor eſſe Deos.
Non ſine te cœli iuſte moderatur habenas
Rerum opifex, ſine te non creat ille polos.

Tecum



Tecum ſydereos animo concepit honores,
Tecum terrarum quanta elementa forent.
Eſt locus in cœlo uacuus, ſola incolis illum,
Qui te concipiant uix reor eſſe Duos.
Sydera nota tibi, Chriſti eſt tibi gloria nota,
Quantaq; diuino pectore cura ſedet.
Te rogo perque tuos flores, per numinis umbras,
Per te, per uires non moritura tuas.
Vt Dea mortales fœdo tuearis amore,
SÆPE ſolent flammæ, ſæpe nocere faces.
Ille uigor, tuus ille decor deſcendit ab aſtris,
Et, quæ deficiunt, cuncta elementa mouet.
Et tu uirgo potens templis præfecta Deorum,
Exere felices in loca noſtra manus.
Te ſine terra ferox, ſine te non uiuet Olympus,
Te ſine mortales tartara dira petunt.
Illa tui pietas nunquam moritura reſurgat,
Et procul hoſtiles pellat amica manus.
Non parta licet urbe frui, iam terra negabit
Thura Deis, tanto Mars ferus igne fremit.

Ceciliæ virgin. & mart.

Virginis ala micat, reſerat ſua templa uirago,
Et iubet in templi limine adeſſe faces.
Vritur his ſacris lignum creſcentis oliuæ,
Inque maritali theda cremata domo.

Clemẽtis põt. max. & mart. hyemis initium.

Aſpice, ſydereum Clemens tibi pandit Olympum,
Ille quidem ſummi gloria uera patris.
Ille renaſcentes hyemis tibi nuntiat ortus,
Concretasq; ſuo mittit ab orbe niues.

At mala

At mala tempeſtas, illo ueniente, recedat,
Ne noceant hyemis frigora dura, roga.
Sæpe nocent ſegeti, teneris & uitibus obſunt,
Sæpius arboribus pernocuere tuis.
Thura cremas, adoles & odori germinis herbas,
Sic tibi, ſic terris nulla nocebit hyems.
Lætus agas, terris læti reparantur honores
Felicitatis mart. Virginis, euicto funere læta Dea eſt.
